

Biblioteca
ASTRA, Sibiu

92 P.C.N.

12.05

SIV 2002



2517
29

QUÆSTIONES
THEOLOGICÆ
IM- ET OPPORTUNÆ
Lecturæ DE LIBERATIONE SUA
FIDE
AD MENTEM DOCTORIS SUBTILIS
Publicæ concertationi expositæ
in nostro Studio Generali.
Sub

Capitulo intermedio h̄ic Ingol-
stadij celebrato.

P R A E S I D E
P. F. S I N E S I O
K R I E G E R ,

Ord. Min. S. Francisci Reform. SS.
Theologiæ Lectore Ordinario.

D E F E N D E N T I B U S
P. F. U B E R T I N O H E E G ,
F. ILDEPHONSO TAUSCH ,
F. BERNARDO HAIAK ,
SS. Theologiæ Studiosis.

Die 14. Mensis Septembris Anno 1718.

Horis ante & pomeridianis
Cum Facultate Superiorum.

3244 INGOLSTADII ,
Typis Thomæ Grafs, Typogr. Acad.
2293



PASTORI
MAXIMO,
CHRISTI IN TERRIS
VICARIO, ET CIVITATIS
IN MONTE POSITÆ
VICE DOMINO
DIVO
PETRO,
DOMINI DOMINANTIUM
CLAVICULARIO,
ECCLESIAE ROMANÆ
C A P I T I .

Nec Non
SANCTISSIMO ET BEATISSIMO
UNIVERSALI
PATRIARCHÆ
MAGNÆ ROMÆ,
PATRONO
SANCTISSIME HONORANDO
ET INVOCANDO
Thesæ isthas utut exiles æternè consecræ
Præses cum Defendantibus



QUÆSTIO I.

An Catholicus à turca, vel heretico, v.g. Lutherano interrogatus de sua fide, eam fateriteneatur?

I.

Non. præceptum divinum confessionis externæ fidei esse duplex, unum affirmativum, alterum negativum. Negativum est, quod vetat fidem negare, obligatque semper, & pro semper: tale datur Matt. 10. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est.* Affirmativum est, quod jubet actum poni exteriorem professionis fidei, quale fertur Luc. 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in Majestate sua.* Item ad Rom. 10. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem: præceptum

hoc non obligat pro semper, sed solum pro aliquo tempore, & certis circumstantiis. Hoc not.

2. Dico i. Nunquam Catholicus licet, etiam ad gravissima tormenta, & mortem ipsam evitanda, negare fidem, nequidem ore verbis apertis, quantumvis interius eam animo integrum retineat. Est communis Catholicorum contra Priscilianistarum, & Heluseitarum haeresin, quorum tritum fertur axioma, *jura, perjura, secreta prodere noli.* Adversatur quoque Judæis in locis non liberis, & pseudochristianis, atque politicis multis, qui pro dignitate v. g. regia, insigni honore, aliisque bonis temporalibus consequendis, fidem exteriorum negare (dumodo animo integrè servetur) haud illicitum fore, perfidè asseverant. Contra hos ergo prob. ex S. Scriptura Matt. 10. *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram patre meo:* sed qui exteriorum, & ore denegat fidem, etsi interiorum & corde conservet, utique eam negat coram hominibus: ergo &c. Confirm. ex illo Rom. 10. *qua si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus suscitavit illum a mortuis, salvus eris, ubi requiritur fides interna, & confessio externa illius fidei: ergo &c. Nec dicas, hæc duo quidem sufficiere,*

cere, non tamen esse necessaria; hoc enim dicere Apostolus vetat, qui textui præcita-to immediatè subdit, *corde enim creditur adjustitiam, ore autem confessio fit ad sa-lutem.*

3. Prob. 2. ratione: intrinsecè malum patrare, semper est illicitum: sed fidem, et si corde retentam, exterius negare, est intrinsecè malum: ergo fidem taliter negare est illicitum. Min. prob. fidem exterius ne-gans, tacitè saltem negat, revelationem divinam esse veram, aut fidei dogmata esse divinitùs revelata: sed hoc modo dicit mendacium intrinsecè malum, idque perni-ciosum, cedens in gravem injuriam divinæ veritatis, cùm doctrinam Christi cum suo Authore falsitatis arguat: ergo taliter fi-dem, et si exterius tantùm, negare, est intrinsecè malum. Confirm. 1. ex perpetuo Ecclesiæ judicio, quæ semper judicavit, esse gravissimum peccatum, negare fidem etiam extrinsecè tantùm, ut patet ex Concilio Nicæno, Elibertino &c. Hinc August. de fide, & Symbolo ait, *fides officium à nobis exigit cordis, & linguae.* Et Tract. 66. in Joannem, *quanta vita est confiteri Chri-stum, tanta mors est negare Christum:* ergo &c. Confirm. 2. exemplis tot mil-lionum Martyrum, qui durissima tormenta passi, crudeli potius letho cadere voluere,

quām in confessione fidei deficere , eam etiā exteriū solum negando: ergo &c. Et planè , Ecclesiæ visibili non sufficit incorporari & ei adhærere per fidem tantum internā , & invisibiliter , sed & per externam , & visibiliter. Accedit , quodd homo , cùm constet corpore & anima , in utroque debeat agnoscere Deum suum. Ex quo coll. eum peccare mortaliter , qui etiam unicum tantum articulum veræ fidei Romanæ , vel ejus certitudinem , aut necessitatem negaret , etiam extrinsecè tantum , ob easdem rationes. Si autem ore simul , & corde denegaret , haud dubiè effrenis foret apostata , atque impius desertor fidei.

4. Dico 2. Illicitum est inter hæreticos , v.g Lutheranos , qui per Papistam , & Catholicum , Professores fidei Romanæ intelligunt , negare se esse talem. Ita communiter omnes Catholici. Et pater ex facto Petri , qui solum negavit , se nōsse Christum , ejusque discipulum esse ; & quia in hac negatione Christum negavit , gravis peccati reus fuit. Prob ratione: æquivalenter , & implicitè negare fidem orthodoxam , vi præcepti negativi est prohibitum: sed negans , se esse Papistam , aut Catholicum , implicitè , & æquivalenter denegat fidem orthodoxam : ergo &c. Maj. claret

ret ex rationibus priori numero positis; ac etiam, quia secundum æstimationem moralem perinde est, sive fidem suam veram explicitè, sive implicitè neget. Min. prob. ab omnibus intelligitur talis, qui negat se Papistam, quod neget, se credere mysteria fidei, à Papa, & Romana Ecclesia proposita: ergo &c. Sileo huc, quod etiam foret contra obligationem veritatis.

s. Excipitur tamen communiter causus, quo Turca, aut Rex Lutheranus v. g. odio infensissimo prosequeretur catholicos, vel contra illos bella gereret, non fidei causa, sed ob causas civiles, & ratione nationis, ex eo nimirum, quod interrogans, ab illa natione sit gravi injuria affetus, aut gravia passus sit damna; tunc enim, dicit Herincx, Pontius, Palao cum communi, si catholicus in manus hostium istorum incidereat, atque ab illis rogaretur, num catholicus sit, negare poterit (salvo præcepto fidei) se esse talem, vel æquivocatione uti, ne male ab illis tractaretur; taliter enim non negat fidem catholicam, cùm non interrogaretur de confessione fidei, nec in ordine ad eam, sed negat tantum, se esse talem hujus nationis, cuius incolæ reputati sunt hostes, & inimici: adeò insuper causa sufficiens utendi æquivocatione. Præterea contra præceptum fidei

non peccaret negans, se esse Papistam in
casu, quo Princeps, vel Rex catholicus
contra summum bellaret Pontificem ob ra-
tiones civiles tantum, & adhærentes Papæ
vocarentur Papistæ; eadem enim pugnat
ratio, quæ supra. Hinc coll. catholicum
interrogatum ab hæreticis, an sit Sacerdos,
vel religiosus, posse sine præjudicio fidei
negare, se esse talem, quandoquidem po-
test esse verus Catholicus, quin sit Sacer-
dos, aut religiosus: mendacium tamē of-
ficiosum patraret, si tunc legitimè & quivo-
catione non uteretur.

6. Dico 3. Catholicus in particulari
interrogatus de sua fide à potestate publi-
ca, v. g. Rege, Præside, aut Magistratu-
Lutherano, nequit tacere, aut amphibolo-
gicè respondere, sed tenetur ingenuè fidem
suam confiteri, non obstante quoçunque
periculo. Ita in re Mastrius, Pontius, Be-
ccanus, & alii passim. Prob. 1. ex S. Script.
& SS. PP. nam Luc. 9. legitur, *qui me e-
rubuerit, & meos sermones, hunc filius
hominis erubescet, cùm venerit in maje-
state sua.* S. August. in cap. Quisquis. 11.
q. 2. ait, *qui metu potestatis veritatem
occultat, iram Dei, super se provocat, quia
magis timet hominem, quam Deum.* S.
Chrysoſt. in cap. Nolite timere. 11. q. 3.
hæc pronunciat verba, *non solum ille pro-*

di-

ditor est veritatis, qui transgrediens veritatem, palam pro veritate mendacium loquitur, sed etiam ille, qui non liberè veritatem pronunciat, quām liberè pronunciare oportet. Accedit propositio 18 inter 65. ab Innocentio XI. damnata hujus tenoris, si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè profiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno: ergo saltem coram potestate publica de fide interrogante silere, aut fidem ingenuè non confiteri per se peccaminosum est.

7. Prob. ratione: tunc Catholicus tenetur palam sine ambiguitate profiteri suam fidem, quando magnus honor Dei, & Christi, ac fidei catholicæ id exigit, qui honor alias notabiliter ei detraheretur: sed in casu, quo interrogetur Catholicus à potestate publica, v. g. Lutherana, notabilis honor Dei, ac fidei id exigit, qui alias ei notabiliter diminueretur: ergo tunc fidem suam ingenuè tenetur confiteri. Mai. patet. Min. prob. tum quia ingens sanè & Christo, & fidei Romanæ honor defertur, si interrogatus coram Rege, Præside, aut tribunali hæretico fidem suam palam profiteatur, spretis quibuscumque minis, tormentis, ac vita ipsa, cùm videamus, & legamus, tyrannos ac præsides ipsos, liberrima

tali confessione obstupescentes , ad saniora
mutatos , multos in regno convertos , at-
que reliquos fideles Catholicos adhuc oc-
cultos in fide sua mirè roboratos , & confir-
matos . Tum quia Ecclesia , si in quodam
casu , maximè in isto , pro gloria Dei fidem
fateri , se obligatam esse , semper censuit ;
unde in *lapsos* postea poenitentes rigidè o-
lim animadvertebat Ecclesia : hinc & SS.
Martyres ad Reges , & Praesides ducti , pa-
lam fidem professi , sæuos cruciatus passi ,
pro Christo , ac fidei gloria , & vitam &
sanguinem profuderunt . Tum quia silere
in isto casu coram potestate publica vide-
tur per se esse signum erubescientiæ de con-
fita fide , vel signum negationis fidei ;
aut enim taliter interrogatus , an sit Luthe-
ranus , tacens consentiens , aut Lutheran-
us haberetur , negat enim juxta Tertull.
L. de idolol. *quicunque dissimulat in qua-*
cunque causa , pro ethnico habitus ; aut
tale silentium , vel æquivocatio , dum in-
stant poenarum minæ , timori poenæ attri-
bueretur , & sic erubescientiæ de confiten-
da fide obtimorem poenæ ; hinc bene Gra-
nado , *in eo casu tacere , est erubescere*
Christum : negare autem , vel erubescere
Christum & fidem , utique est Christi , &
fidei honorem notabiliter diminuere ? ergo &c.
Accedit , quòd talis princeps , vel

hæ-

hæreticus Magistratus in suo regno vel provincia apud suos subditos censeatur habere potestatem examinandi etiam Catholicos de sua fide. & sic reputetur possessor bonæ fidei; adeoque talis debet respici, & sine scandalo nemo ei resistere valet.

8. Confirm. ulterius, quia tales extrinsecè negantes tanquam *lapsos* Ecclesia damnavit, non admissa excusatione æquivationis, quæ alioquin sanè in promptu, aut certè inquirenda erat; imò præviè hæc methodus, salva fide evadendi in persecuzione gravia incommoda, aut mortem, ingerenda fuisset fidelibus, præsertim infirmioribus, quod planè abhorret à sensu, & praxi antiquitatis: ergo &c. Insuper quia per æquivationem solum hoc ad summum salvaretur, quod abesset mendacium, cœtera autem, quæ malitiam negationis fidei, utique aliam, quam mendacii, fundant, manent etiam in tali. Denique quia metu mortis, aut gravis incommodi posset pariter quis profiteri exteriùs quamvis hæresin cum simili restrictione. Jam ex his deducuntur sequentes praxes.

9. 1. Si Catholicus à potestate publica interrogatus de sua fide, taceat, extrahat autem crucifixum, aut imaginem semper Virginis Mariæ, eamque veneretur, osculetur &c. Aut si jugulum extendat, ut pro-

bet se paratum pro fide vitam cum sanguine fundere, talis fidem, licet ore taceat, opere sufficienter confitetur. 2. Si Rex hæreticus diceret catholicus, gnarè scio, te esse Catholicum, hinc morte morieris; is verò sileat, & rideat contemnens mortem, talis non peccaret contra præceptum positivum externè confitendi fidem, silere etenim, & ridere minas, ac mortem, est virtualiter confessio fidei. 3. Si duo catholici à tribunali hæretico interrogarentur, nonne vos catholici? unus verò eorum responderet, ambo catholici sumus, alter verò taceret, sed læto vultu annueret, silentium istud ob hanc circumstantiam signum esset confessionis fidei. 4. Possunt catholici in persecutione fidei, supplicatione, aut pecunia redimere, ne subjiciantur examinationi, vel ne cogantur ad respondendum de fide, aut ne arctentur accedere cœnas, aut conciones hæreticas, sic enim virtualiter fidem profitentur, & tantum declinant, ne magistratum irritent: excipe tamen circumstantiam, in qua ab aliis reputaretur negasse fidem, uti si multi interrogarentur, aliis distantibus, & ob distantiam non audi entibus, & qui non negarent, damnarentur ad carceres; talis enim liber dimissus, meritò putaretur ab aliis, deseruisse fidem. 5. Si interrogaret princeps hæreticus ge-

ne-

netaliter de fide catholica , & mandaret, qui fuerint catholici , se manifestent , quos dein injuriis , aut tormentis afficeret, non obligabuntur Catholici , se prodere; nec enim vi præcepti negativi , cùm fidem non negent , sed tantum occultent ; neque vi præcepti affirmativi , quia taliter notabilis , & magnus honor Deo , aut fidei non subtrahitur ; imò meritò præsumi potest , catholicos occultos magis confirmandos , & fidem tali occultatione amplius promovendam fore: si verò alii spectatis circumstantiis prudenter suspicarentur , in tali occultatione fidem negari , tunc se prodere tenentur , & fidem manifestare ; quamvis enim non semper obligentur , se aliis catholicos ostendere , nequeunt tamen se positivè ostendere non catholicos , aut hereticos. 6. Si à præside interrogentur multi , utrum parati sint fidem negare , aliqui autem eorum negent , alii annuant , alii taceant , qui tacentes cum paratis ad fidem negandam in catalogum referuntur , isti tacentes peccant contra præceptum confitendæ fidei. Item ille , qui interrogetur , an sit catholicus , alio pro se respondente , iis taceat , nec ullum signum contradictionis ostendat.

10. Deducitur 7. Catholicus interrogatus à Lutherano v. g. privato , etsi mag-

næ sit authoritatis (dummodo interrogatio talis non fiat ex commissione Regis v. g.) non tenetur fateri fidem, & exterius illam manifestare per se loquendo; cum enim talis publicam authoritatem non gerat, nec apparentem, nullus inde honor Christi notabilis periclitabitur: hinc & censura pontificia de interrogatione personæ privatæ non loquitur. 8. Econtra interrogatus à persona privata fidem fateri obligatur, si credat, ex omissione suæ professionis alios catholicos fidem amissuros, vel alios ad fidem convertendos esse; tenetur enim non solum ex charitate in isto casu saluti proximorum consulere, sed etiam ex fide in illis promovere fidem. 9. Si interrogatus suo silentio censetur à circumstantibus negare fidem, aut in ea vacillare, vel eam contemnere; hoc enim non tantum ratione scandali, sed de se ratione gravis jacturæ fidei, & detrimenti honoris Dei, grave esset peccatum. 10. Si Catholicus videt, doctrinam fidei à Lutheranis v.g. irrisioni, & blasphemias exponi, sacras virgines violari, imagines, & reliquias sacras conculcari, aliisque injuriis fidem affici, tenetur tales reprehenderè, compescere, fidemque suam omni modo tueri, dummodo per hoc se prodesse, & sufficientem esse existimet; sic enim Dei honor, ac fidei indemnitas exigit.

git. 11. Si Catholicus putaret, ob non confiteridam fidem se opprimendum pusillanimitate, & negandæ fidei periculo exponendum esse, tenetur fidem profiteri, ut per se patet.

11. Hæc ergo est fides catholica, quam nisi quisque coram Principibus, & Magistratibus hujus sæculi, contra Christi, & veræ nostræ fidei gloriam oblatrantibus, fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. Hæc est fides apostolica, ut nunquam negemus, sed contra perfidos infideles, ac hæreticos, integrum inviolatumque ad sanguinem usque servemus. Hæc est fides Romana, cuius asseclæ nefandam Lutheri hæresin, sub poena æternæ mortis, nec ore quidem profiteri queunt, sed eam semper detestari, abhorrire, ac ut colubrum fugere obligantur. Et tamen, & tamen, prôh dolor! devotissimæ adhuc extant Lutheri animulæ, bis cento ciclo jubilantes (dasdi, dasdi! Arius est ipsis senior, num tamen ille bonus?) æram suam venalem exponentes, Lutherum ipsum usque ad sydera extollentes. Ecce! amice Lector, pervenit ad manus meas libellus quidam, cuius titulus, *Lutherus non combustus*, à M. Justo Schoëpffer pastore Islebensi, in festivitatem anni Jubilæi (sic Sanctos Lutherana imitatur simia ritus)

Con-

Confessionis Augustanæ, præterito anno
1717. Wittenbergæ editus, in quo triviale
illum scurram Magistrum suum Luthe-
rum, beatum, divum, Martyrem, ab in-
cunabulis usque ad obitum suum, devo-
tum, piūmque proclamat. Quo jure au-
tem, successu istarum quæstionum palam
dabo, nīsus authoritate & ratione celeber-
rimorum virorum, tempore ac haud longè
post interitum hæreticorum idoli Lutheri,
Catholicæ religionis propugnatorum acer-
rimorum; præsertim Patris nostri Joannis
Nasi, qui ne lateat, sed amplius innotes-
cat, placuit ex Chronica Ordinis nostri
hæc pauca apponere. Joannes Nasus an-
no 1553. 5. August. Monachii in Bavaria,
Sacro Ordinis nostri habitu pro Laico in-
dutus est: h̄c Ingolstadii tanquam sedu-
lus sartor de die suis Confratribus inservi-
vit; de nocte verò ad dormitorii lampadem
lectioni librorum, atque studiis ani-
mum intendit, eoque ope semper Virginis
Dei Matris Mariæ (cujus imago prope il-
lam lampadem venerationi & cultui ex-
posita est) progressus fuit, ut à Superiori-
bus nostris sufficiens habitus, ex statu lai-
cali in statum clericalem translatus, ac tan-
dem anno 1557. Frisingæ Bresbyter ordi-
natus sit. Anno 1559. h̄c in Alma Uni-
versitate Ingolstadiana Theologicas lectio-
nes

nes publicè frequentavit. Ingenti animarum fructu contra hæreticos ut Concionator insignis Christi dogmata illustravit. Plurima præclara opera contra Lutheranos Prædicantes typis mandavit, intolabili cum damno Lutheri hæresis. Denique ob sua præclara merita à Pontifice Maximo Pio V. pro Concionatore Apostolico declaratus, anno 1578. Brixinensis Capituli Cathedralis Commissarius, & anno 1580. Episcopus Bellinensis, & Suffraganeus Brixinensis initiatus est, anno 1590. tandem piè in Domino obdormivit, cujus Epitaphium candido marmori ex mandato Archiducis Ferdinandi insculptum legitur sequens. Reverendissimus in Christo Præful, ac Dominus Frater Joannes Nasus Ordinis Fratrum Minorum de observantia, Bellinensis Episcopus, Brixinensis Suffraganeus, Concionator & Apostolicus, & Serenissimi Principis Ferdinandi Austriae Archiducis Aulicus, Religionis Catholicæ propugnator constantissimus, & hæreticorum hostis acerrimus, sub hoc Saxo in Domino quiescit, mortuus 16. Maji anno salutis humanæ 1590. ætatis vero 57. quem Deus Optimus Maximus sua in Christo misericordia dignetur. Ex hoc ita aliisque probatæ fidei Scriptoribus catholicis, nec non ex propria Lutheri, ejusque sectato-

rum confessione luculenter monstrabo, plurima in libello illo à citato Pastore Lutherano de Martino Luthero dicta, & scripta, periniqua, impia, ac falsissima esse commenta, reliqua autem, quæ vera, magis in Lutheri, ac reliquorum Lutheranorum contumeliam & opprobrium cedere. Ergo ad rem

12. *Martinus Lutherus* (verba sunt præfati Pastoris Lutherani) patre Hans Luther, operario metallico in Mansfeldicis fodinis, & matre Margar. Lindemannia, die 10. Novemb. anno salutis restauratae M. CCCCLXXXIII. nocte post horam undecimam Islebiae &c. natus, ac die undecimo Novembris ibidem in edibus Divi Petri & Pauli per sacrificium baptizatus, nominéque Martini, quod ipse ille dies Martino Turonensi sacer esset, in baptismō insignitus fuit. Eodem igitur anno Lutherus est natus, quo Hieronymus Savanorola ob fidēi confessionem est combustus, & quidem Islebiæ, non in pago More, sive Mara inter Isenacum, & Salzungam sito, quem parentes locum paulò ante nativitatem Lutheri reliquerant, quique deinceps incendio periiit. Dei profecto digitus is fuit, ingrati sumus, qui hunc non agnoscimus, memoriāmque rerum

rum tam illustrium non accuratiū conservamus, & propagamus &c.

Non sic impii, non sic; Hans Luther enim non genuinus fuerat Pater Martini Lutheri, sed nutritius tantum, conceptus enim est à Margar. Lindemannia tunc temporis balneatrice serva, diabolo incubo, quæ dein circa Pentecosten nupsit Joanni Luthero, & jam in Festo S. Martini hoc Monstrum in lucem edidit, ita noster P. Nass in sua Centuria 5. fol. 29. cum M. Petro Sylvio, Cohlæo, & aliis. Cæterum Martinum Lutherum baptizatum haud inficiamur, sed & simul ab eo tunc adhuc infante, ac futuro sanctorum Dei contemptore, & sacramentario, sacerdotem baptizantem, simul ac baptismum fœdè deturpatum esse ex scripturis fide dignis cum nostro P. Nass Centur. 5. fol. 33. omnino affirmamus. Denique quod illo anno, quo contemptor contumax Hieronymus Savanorola (ob falsæ fidei confessionem) tanquam apertus & contumax censurarum Ecclesiasticarum contemptor meritò combustus est, Lutherus natus sit; & quod locum illum paulò ante nativitatem Lutheri parentes reliquerint, qui deinceps in cinerem abiit, hæ res sint memoriā dignæ? res illustres? quæ accuratiū conserventur, & propagentur? Quæso! si novus

latro vitam ingrediatur illo anno, quo latro
 alius ob scelera sua rotæ, vel rogo imponi-
 tur; aut si domus in cineres abeat, quam
 trifurcifer paulò ante reliquerat, hæc pro-
 gloria posteris conserventur? Quis non ri-
 deat? Dei profectò digitus is fuit, optimè
 dicitis, Dei digitus fuit, quo vobis miseri-
 corditer monstravit, & indies monstrat, in-
 forme hæc Monstrum, Germania uatem,
 & religionis vera restauratorem & pro-
 pugnatorem (quem talem impie jaestatis)
 haud quaquam esse, sed Antichristi pro-
 dromum, Hæresiarcharum pronymphum,
 verticem, finem, & cloacam omnium hæ-
 reticorum. Dei profectò digitus is fuit;
 ingrati estis (ex propria vestra confessio-
 ne) qui hunc non agnoscitis, sed adhuc in
 præfatione dicti libelli protervè canere per-
 severatis,

Incipit hæreticus fieri, qui (facta) Lu-
 theri (dicta)
 Carpit, & infernum, ni resipiscat, adit.
 Menda emenda, & lege

Hæreticus sceleratus erit, qui (facta)
 Lutheri (dicta)
 Servat, & infernum, ni resipiscat, adit.

Q U Æ S T I O N I I.

An liceat Catholico gravi de causa, rebus, vel factis Mahometicam v.g. vel Lutberanam sectam simulare?

I. **N**ot. variis modis posse Catholicum, sectam alienam simulare, seu potius fidem suam dissimulare, & occultare, v. g. adorando idolum, vel incensum illi offerendo, canendo vel orando cum hæreticis in publico loco, aut Sacra menta cum illis participando, conciones eorum audiendo, carnes cum illis comedendo diebus ab Ecclesia prohibitis, eorum vestimentis utendo &c. De his ergo & similibus in particulari agendo.

2. Dico 1. Non licet Catholico etiam ob mortem vitandam, exercere per simulationem actiones proprias falsæ Religionis, quando communiter ab audientibus, aut videntibus prudenter colligeretur, quod adhiberentur tales actiones & cæremoniæ, ut cæremoniæ istius religionis. Ita P. Pontius in cursu suo theologico disp. 29. q. 7. conclus. 3. P. Herincx, Vasquez, Cöninck &c. contra Adrianum. Prob. num.

quam licet Catholico profiteri falsam Religionem, & negare suam, etiam quoad externam apparentiam: sed utens cœremoniis propriis falsæ religionis in casu, quo adstantibus videretur eis uti ut cœremoniis, & tanquam argumento professionis ejusdē religionis profiteretur falsam religionem, & consequenter suam negaret, saltem quoad externam apparentiam: ergo his uti non licet. Maj. patet ex q. preced. Min. per se claret. Confirm. 1. mō si liceret in hoc casu adhibere cœremonias proprias falsæ sc̄tæ, posset quis publicè coram idolo orare, incensum adolere &c. dummodo internè adorationem dirigeret ad verum Deum, ac in ejus cultum thus incenderet: sed hoc utique est falsum: ergo &c. Min. prob. exemplo Marcellini Pontificis, qui juxta omnes gravissimè peccavit, quod ob metum mortis idolis sacrificaverit. 2. dō Martyres facillimè potuissent hoc modo per simulatam actionem sacrificandi effugere mortem. 3. io ab Ecclesia pro lapsis habití, & castigati fuerant Libellatici illi, qui à Magistratu emerunt libellum testimonialem, quod idolis sacrificaverint, vel fidem negaverint, cum tamen simile non fecerint: ergo. Confir. 2. dō mendacium semper est prohibitum, sed qui utitur cœremoniis propriis falsæ Religionis, v. g. per fictiōnem,

nem, vel simulationem, adorando idola committit mendacium, saltem facto, cùm ostendat se esse idololatram, cùm tamen non sit: ergo nunquam uti licet cæremoniis propriis sectæ falsæ, ita ut adstantibus appareat, se illis uti ut cæremoniis. Quare nolite jugum ducere cum infidelibus. Ex his

3. Deduces 1. mō, optimè excusari Naaman à peccato idololatriæ, etiam si. 4. Reg. c. 5. dicatur, quod cùm suo Domino Gentili Rege Syriæ in templo idoli Remmon adoraverit; neque enim impetravit licentiam ab Eliseo adorandi idolū, ita ut ex his cæremoniis prudenter colligere possent adstantes, eum idolo cultum adhibere; neque sic adoravit; sed ei permisit tantum, ut Regi suo posset præstare civile Ministerium, quod ei etiam extra templum adhibebat, non cultus divini, sed obsequij Regij causa, videlicet, ut Rex Geniculans ei simul Geniculanti inniteretur, quod & licet fecit, nullus enim ex illo modo gerendi prudenter existimare posset, eum deferre honorem idolo. Ita cum Herincx Tom. 3. disp. 8. q. 2. & alijs.

4. Deduc. 2. Regem Israëlitarum-Jehu, qui simulabat, se velle sacrificium offerre idolo Baal, ut haberet occasionem occidendi omnes Sacerdotes Baal, qui erant

in templo peccâsse per illam simulationem. Ita docet D. August. L. contra mendacium. c. 2. & cum illo D Thomas. Nec verum est, quod Deus illud mendacium, seu simulationem laudaverit, sed solum laudavit factum Jehu in eo, quod omnes Sacerdotes Baal occiderit, & domum Achab funditus deleverit, uti patet ex textu,
quia studiosè egisti, quod rectum erat &c.
 Non dixit Deus, quod studiosè locutus fuerit. Unde D. Thomas, & August. affirman, illum accepisse aliquantulum mercedem transitoriam Regni temporalis, non pro illa simulatione, sed pro nonnulla obedientia, quam Deo exhibuit in delenda domo Regis Achab. Si autem fortè velis excusare præsertim à culpa gravi, dicere posse, eum fuisse virum militarem, & rerum divinarum minus gnarum, sic per ignorantiam excusatum esse: sed non ad eò bene. Ita cum Herinex cit. & aliis.

5. Deduc. 3. S. Apostolum Paulum, etiamsi ipse Timotheum circumciderit propter Judæos Act. 15. & seipsum purificaverit judaicè, & voluerit offerre sacrificium, non peccâsse, isthæ enim cœremoniæ tempore illo, quo usus est Apostolus, nondum erant mortiferæ observantibus eas, id est, ijs uentes mortaliter tunc non peccarunt, quamvis jam fuerint mortuæ, id est, non fue-

fuerint amplius obligatoriæ, vel efficaces. Neque usus istarum cœremoniarum legis veteris erat pro eo tempore signum distin-
ctivum eorum, qui credebant Messiam ven-
turum, & non venisse, ab ijs, qui credebant
ipsum venisse; nec suscep^{tio} earum, aut ap-
plicatio hoc denotabat; consequenter ob-
rationabilem aliquam causam, maximè ad
vitandum scandalum fideliūm judæorum, &
aliorum facilitandam conversionem, Apo-
stoli natione Judæi his cœremonijs licite uti
potuerunt; & sic per hoc alienam sectam
non sunt protestati. Ita cum Pontio in suo
cursu Theologico Disp. 29. Conclus. 3. &
alijs.

6. Dico 2. non licere Catholico adire
Synagogas Judæorum, vel templa Luthe-
rānorū, communicando cum eis in cœ-
remonijs, & ritibus falsæ Religionis, sic, ut
cum illis declamarent Decalogum, canta-
rent psalmos, aut alias orationes externas
cum eis recitarent; imò neque similibus cœ-
remonijs interesse possunt, si Rex, aut Ma-
gistratus hæreticus ad id minis, aut pœnis
compelleret. Ita P. Herinex Tom. 3. Disp.
8. Q. 3. Pontius, Palao, Coninck &c. Prob.
prima pars: qui adit templa Lutheranorum
v. g. communicando in his cœremonijs or-
dinatis ad cultum, & professionem istius Re-
ligionis, uteretur cœremonijs falsæ sectæ.

& externè profiteretur illam: sed hoc ex se est illicitum: ergo &c. Min. constat ex conclusione præcedenti. Maj. etiam liquet. Et certè talia exercens prudenter reputaretur à reliquis cultor istius Religionis. Prob. 2. pars, de qua est major difficultas, nimirum quod neque interesse possint Catholicí similibus cœremoniis falsæ sectæ, si Rex hæreticus hoc jubeat. Non licet Catholicis assistere cœremoniis in signum, honorem, & protestationem falsæ sectæ: sed qui ex mandato Regis, vel Magistratus hæretici adfissent psalmodiis, & cœremoniis Lutherano- rum, aut aliorum hæreticorum, assisterent ijs in signum, honorem, & protestationem falsæ sectæ Lutheranæ: ergo eis ex jussu Regis hæretici adesse non licet. Maj. patet, Min. prob. Mandatum, & intentio talis Regis præcipientis esset, ut Catholicí assistant in honorem, favorem, & signum sectæ Lutheranæ, vel Calvinisticæ, ut patet ex simili edicto, quod citat Palao, *modestè etiam atque sobriè, dum preces persolvuntur, se gerere, & usque ad finem dictarum precum, & concionum ibi manere teneantur: ecce mandatur, ut modestè, sobriè consequenter Religiosè assistant: ergo Catholicí mandato Regis obedientes, assisterent in signum, honorem, & protestationem falsæ sectæ, saltem quoad exteriorem apparen-*tiā.

tiam. Confirm. planè non licet Catholi-
cis aliquid agere, quod cedat in injuriam ve-
ræ nostræ fidei, & favorem hæreticæ sectæ;
sed talis concursus & confluxus Catholicorum
ad similes cœremonias hæreticorum,
cederet in injuriam nostræ fidei, & in favo-
rem hæreticæ sectæ, sic enim extrinsecè ho-
norarentur eorum concionatores, ritus &c.
consequenter eorum doctrina majorem aut-
horitatem acquireret: ergo &c. Confirm.
2. In Anglia & Hybernia Catholicæ maxi-
mam patiuntur jacturam bonorum, incar-
cerationes, exilia &c. quod nolint Regis
& Principis hæretici obsequi mandatis, a-
deundo protestantium templo, quantumvis
alio speciali modo non concurrerent can-
tando &c. & si frequentarent, ab omni-
bus istis pœnis essent liberi; & tamen om-
nes tenent, quod si adirent, peccarent; ac
si quis ex fragilitate aliquando condescen-
dit, pro malo catholico habetur commu-
niter: ergo signum est, quod in hac re non
liceat obedire mandatis Regis, aut Princi-
pis hæretici. Accedit, quod expressè de-
claraverit Paulus V. in Bullâ edita 10. Ka-
len. Octob. anno Dom. 1606. in qua ha-
bentur ista: *cogimur monere vos, atque
obtestari, ut nullo pacto ad hæreticorum
templo accedatis, aut eorum conciones
audiatis, aut cumillis in ritibus commu-*
nicare.

28 *Questio II. Ante licet Catholico*

*nicetis. Non enim licet vobis hac facere
sine deterrimento Dei cultus, & vestra sa-
luti. Haec citant Herincx, Palao, Bonacina &c. Quare*

7. Deduces 1. mō Catholicos ex iustis
Regis haeretici adeuntes ejus templa, & cœ-
remonias, peccare contra fidem, etiamsi
protestarentur, quod non faciant animo
professendi illam sectam, sed intentione vi-
tandi propria damna, aut ut Regi civilem
solum obedientiam præstent. Ita cum
Coninck Dilp 15. Dub. 3. & aliis. Nam
facto suo contrarium ostendunt, & eo ipso,
quod obedient taliter Regi, intentum Re-
gis promovent, & sic haeresi favent.

8. Deduc. 2. dō Neque licere Catho-
licis parere edictis Superiorum Hæretico-
rum adeundo eorum templa, & ritus, etiam-
si in suo edicto expressè dicant, se hoc non
præcipere in favorem suæ sectæ, aut ut
quis relinquat suam fidem, sed se solum per
hoc exigere civilem obedientiam. Ita
Herincx loc. cit. & alii. Ratio est, quia
cum illo, quod in tali casu præcipitur ex-
ternè, conjungitur ex natura rei propaga-
tio, aut authorizatio istius falsæ fidei, ut
patet ritè consideranti; quamvis hæreticus
Rex diceret, se hoc non intendere, imò si
neque à parte rei Rex, neque obediens
istud intenderent: neque ab aliis inten-
dere

dere estimarentur. Sicut à pari , si Petrus comburat domum Pauli, etiamsi Petrus per se non intenderet damnum Pauli, sed bonum aliquem finem, qui finis & omnibus esset notus. Sic cum proportione in proposito. Deinde in hoc casu fides eis non esset adhibenda , sed semper præsumendī sunt jubentes assistentiam cœremonijs suis hæreticis , intendere bonum hætesis: nam quæ est ratio, cur in hac materia determinata civilem obedientiam exigant, nisi in favorem suæ fidei falsæ? utique possent illam probare in mille alijs rebus merè civilibus, quæ non habent connexionem cum fide, & religione. Et planè non est verisimile, quod Rex , vel Magistratus vellent exigere cum magna subditorum molestia, & jactura , id una re potius , quam in alia , nisi aliquod speciale emolumentum oriretur. Quid autem emolumenti posset ipsis accrescere , aut securitatis magis in hac materia fidei propter meam obedientiam civilem? quam si hæc præstaretur in alijs materijs? nisi inde sequeretur detrimentum nostræ Religionis veræ, & augmentum falsæ? Credo , vero Catholico hoc bene examinanti satīclarum esse. Dicet forsitan nonnemo, sequi utique emolumentum particulare ex illa obedientia, videlicet conformitatem subditorum in cœremoniis. Sed quæso, quid be-

beneficii, & emolumenti pro principe, aut Republica aquireretur ex illa conformitate & communicatione in cæremoniis externis, si cognosceretur, quod fieret absque animorum consensu, catholicis nimurum existimantibus, eas cæremonias esse perniciose, aliis vero scilicet hæreticis, utiles, & proficuas? Planè nihil: adeoque non est verisimile, nec credendum, quod in suis edictis talem præcisè conformitatem intendant, nisi quatenus ex ea conformitate saltē externe daretur intelligi, quod internē convenirent communicantes in ijs, aut sequeretur paulatim ex ea conformitate propagatio suæ Religionis falsæ, & diminutio, ac tandem extincio veræ & consequenter alterum horum, deberet etiam Rex principaliter intendere: & præsertim hoc exinde patet, quod taliter impedit exercitium nostræ Religionis veræ.

9. Deduc. 3. Non licere Catholico in templis Lutheranorum v. g. campanis convocare illos ad templum, aut organistam, aut ædituum agere. Ita cum la Croix Tom.

1. L. 2. C. 3. Q. 15. §. 8. & aliis. Ratio est, quia has functiones exercendo directè cooperatur ritibus hæreticorum, quod per se malum est, consequenter spe lucri coonestari non potest. Per se tamen illicitum non est, si pulset campanas, vel organa eotan-

tantum tempore, quo congregati sunt ci-
vies, aut mercatores, ut tractent de com-
merciis aut negotiis civilibus, tunc enim
non concurreret ad promovendos eorum
ritus acatholicos.

10. Deduc. 4. licitum esse Catholico
adire templa hæreticorum, dum utuntur
suis cœremoniis, si desit periculum subver-
sionis. Dummodo ita se gerat, etiam ex-
terius, ut omnes communiter cognoscerent,
eum in talibus cœremoniis non communi-
care, aut externè illis honorem deferre, sed
instar curiosi spectatoris, quasi ludatur co-
mœdia. Ita cum Coninck disp. 15. Dub.
3. & aliis. Ratio est, quia accessus ille non
est hæresis protestatio, nec ex natura rei
malus. Caveat tamen, necesse est, ne scan-
dalum pariat videntibus illum egredientem,
vel ingredientem, præsertim cum fiat sine
gravissima causa, qualis non est curiosi-
tas.

11. Deduc. 5. quod Catholici famuli,
licitè possint suos Dominos hæreticos, &
pedissequæ hæreticas suas Dominas, si id
sine gravi incommodo effugere nequeunt,
ad sua templa comitari. Ita cum Coninck
suprà cit. & aliis: dummodo ita se gerant
in templo, ut videantur externè non com-
municare in illis ritibus directè, aut itidire-
ctè, sed solùm attendere ad obsequia Do-

32. *Quæstio II. An liceat Catholicis*

minorum suorum, & circa cœremonias illas merè instar spectatorum curiosorum se habere. Ratio est, quia in his solum intervenit præsentia quasi materialis, & obsequium civile. Et patet in exemplo Naaman superius citato.

12. Deduc. 6. Catholicos posse comparere ad sepulchra hæreticorum nostrorum, quæ sunt absque ullo ritu saeculo quasi sepeliretur canis, nisi quod exterior quædam pompa funeris servetur. Item Catholici commorantes cum hæreticis possunt licet adire convivia nuptialia hæreticorum amicitiae causâ, atque iis bene precari, more hæreticorum: & alia similia obsequia secundum se à cultu Religionis abstractentia, & quæ neque sunt signa distinctiva, praestare. Ita cum Leandro de SS. Sacramento. part. 6. tract. 2. Disp. 3. q. 53. & aliis. Ratio est, quia id nullo modo est, aut censi debet protestatio, aut professio falsæ Religionis, aut negatio veræ.

13. Deduc. 7. Licitum esse Catholicis hæreticorum templa adire, si princeps hæreticus præcipiat Catholicis sub gravi poena, ut templa hæreticorum adeant, non Religionis gratiâ, sed ob alias causas v. g. ad defendendum templum ab hoste, aut ob aliud negotium civile. Ita Leander cit. Ratio est, quod taliter ad actionem ma-

malam non concurrant, & nudam præstent obedientiam, & talis ingressus non pertineat ad religionem.

14. Deduc. 8. illicitum esse Catholicis contrahere matrimonium coram Ministro hæretico, tanquam Ministro istius contractus, sive partiali, ut cum adesset aliis Minister Catholicus; sive totali, ut cum non adesset aliis. Ita cum Coninck Disp. 15. dub. 3. & aliis. Ratio est, quia hoc modo, externè saltem agnoscerent ministerium ejus, atque adeò religionem ex qua sola habet tale ministerium. Secùs est de ijs, qui solùm coram Magistratu hæretico civili contraherent, aut testarentur, se contraxisse, dummodo ritu etiam Catholicō ante, vel postea contrahant; hoc enim solùm in finem politicum fieret, ut nimirum constaret publicè, qui veri sint conjuges. Idem dicendum videtur cum Lugone, si Minister hæreticus non adesset, ut persona sacra, & ut Minister Ecclesiæ, sed ut persona civilis, ad eundem hunc finem politicum, sicut adesset ipse Magistratus civilis.

15. Deduc. 9. Licere Catholicis baptismum petere ab hæreticis in casu necessitatis extremæ. Ita cum Becano part. 3. c. 9. & aliis. Ratio est, quia baptismus ab hæreticis Lutheranis saltem & Calvinistis

34 *Quæstio II. An liceat Catholicis*

collatus, non est institutus ad cultum falsæ suæ sectæ, sed veræ nostræ Religionis, est enim idem baptismus cum nostro, adeoque liceret in tali casu illum ab ipsis petere, nam sic non communicamus in ritibus suæ falsæ sectæ. Illicitum tamen foret, baptismum ab eis rogare extra urgentem talem necessitatem, impium enim est, & scandalosum confugere ad hæreticos, cùm petere possimus à Catholicis.

16. Deduc. 10. Licitum est Catholicis in articulo mortis recipere Sacramentum pœnitentiæ à sacerdotibus hæreticis, (intellige Apostatas illos impios Sacerdotes) si non adsit Catholicus, & non sit scandalum proprium, vel alienum. Ita cum Leandro de SS. Trinit. part. 6. tract. 2. disp. 3. q. 50. & aliis. Ratio est, quia Concil. Trid. sess. 14. c. 7. expressè dicit, *custodi-
sum semper fuit, ut nulla sit reservatio in
articulo mortis, atque idè omnes Sacer-
dotes, quoslibet pœnitentes à quibusvis
peccatis, & censuris absolvere possunt;* consequenter & hoc poterunt Sacerdotes hæretici. Idem tenendum videtur, quod positis his conditionibus licitum sit catholicis, in articulo mortis recipere Eucharistiam de manu sacerdotis hæretici, & extre-
mam unctionem, dummodo quoad formam & materiam legitimè administrare velit.

Ex-

Extra verò necessitatis casum minimè erit licitum, ut patet.

17. Dico 3. Licet Catholicis adire conciones hæreticorum, si non sit periculum perversionis, & desit communis, & rationabilis aestimatio, quod id fieret in professionem talis Religionis hæreticæ, aut in negationem fidei propriæ: si autem adsit talis aestimatio, nequeunt accedere, etiam ob periculum mortis. Ita Herincx Tom. tom. 3. disp. 8. q. 3. Coninck disp. 15. Dub. 3. Pontius, Palao &c. Prób. prima pars: aditus talis ad conciones hæreticorum non est ita malus, quin possit optimè fieri ob bonas causas, præcipue ut concionatoris doctrinæ falsæ, & imposturæ clariū possint deprehendi, & à nostris Catholicis refutari: nec talis accessus est ex natura sua ordinatus, tanquam signum distinctivum professorum hæreticorum à professoribus Catholicis: ergo nil obstat, quod minus positis in conclusione conditionibus Catholici possint adire conciones hæreticorum. Confirm. Ratisbonæ, & in aliis quibusdam locis, ubi Catholici hæreticis permixti habitant, multi etiam noti & docti Catholici sine ulla suspicione hærefoeos conciones Lutheranorum adeunt: ergo &c. 2. Pars liquet ex suprà dictis, quia tenetur Catholicus semper vitare professionem etiam ex-

ternam falsæ Religionis, & moralem negationem positivam suæ fidei : sic & tenetur non exponere se periculo perdendi fidem, aut peccandi. Hinc sequitur, quod Catholici adeuntes aliquoties conciones hæretorum ex mera curiositate, secluso scando, & periculo perversionis (quod tamen facilè subest) non peccent saltem mortaliter, quia positis his conditionibus planè non apparet, unde graviter delinquere possint. Ita cum Herincx tom. 3. Disp. 8. Q. 3. & alijs. Dixi *aliquoties*, nam si frequenter contingeret, planè ex hac frequentatione prudenter potest generari suspicio, quod ita frequentans sit benè affectus ad ritus hæreticos. Deinde adest defectus utilitatis, & periculum lapsūs, præsertim in indoctis, & parùm in fide firmis.

18. Dico 4. Catholicus potest in terris hæretorum licet vesci carnibus diebus ab Ecclesia prohibitis, v. g. ad vitandum valde grave periculum mortis, aut incarcerationis, aut magnæ multæ pecuniariæ, dummodo hæc comedio non proponatur ad dignoscendum, quis esset Catholicus, quis hæreticus, aut in contemptum Ecclesie, aut ex tali comedione sequeretur notabile, & rationabile scandalum. Ita Herincx Tom. 3. Disp. 8. Q. 3. Palao part. I.
tract.

tract. 4. Disp. 1. Punct. 17. Pontius, Co-ninck &c. Prob. conclusio: si in hoc ca-su esset præceptum prohibens talem come-stionem, esset præceptum Ecclesiæ positi-vum: sed hoc non obligat de comedendis carnibus cum notabili detrimento vitæ, aut bonorum: ergo in casu isto non est præcep-tum prohibens talem comestionem, conse-querter licet poterit vesci carnibus, etiam in ordine ad occultandam Religionem, & gravia vitanda incommoda. Min. constat, nam lex humana cum tantis periculis non obligat, ut paret ex præcepto de audienda Missa diebus festis. Maj. prob. si esset ali-quod aliud præceptum, maximè esset præ-ceptum negativum fidei non negandæ: sed tale præceptum in nostro casu non urget, cùm ita vescens non neget fidem: ergo &c. Min. prob. talis comestio nec ex natura sua, nec ex institutione hominum, nec ex ratione circumstantiarum esset signum pro-fessionis religionis hæreticæ, aut negatio-nis veræ catholicæ: ergo taliter comedens non negat fidem, nec extrinsecè. Ant prob. fideles Catholicæ ob multas causas possunt comedere carnes illis diebus, ut ratione infirmitatis, dispensationis &c. ergo ex natu-ra sua, & institutione hominum non est sig-num professionis sectæ hæreticæ. Nec est tale ex ratione circumstantiarum, cùm

hic supponamus, nullam fieri mentionem fidei, aut prohibitionis Ecclesiæ, neque adesse periculum scandali. Confirm Potest quis dissimulare, imò negare (non tamen absque mendacio) se esse Sacerdotem sine præjudicio præcepti fidei, quia non obstante, quod non esset Sacerdos, posset esse Catholicus: ergo etiam sine præjudicio præcepti fidei poterit comedere carnes coram hæreticis, quia ex hoc non sequitur, quod sit hæreticus, aut non catholicus, cùm ipsimet Catholicus ob varias causas his diebus vescantur carnibus. Quod si aliqui essent tam simplices, aut qui minus considerarent rem, quam deberent, & propterea judicarent ipsum non esse Catholicum, id non esset curandum, quia non tenetur imprudens tale judicium cum tanto suo detimento impedire: neque tale judicium, quamdiu interius manet, potest comedionem afficere, aut eam ad significandam defctionem à fide determinare, ad hoc enim requiritur aliqua circumstantia extrinseca. Unde

19. Deduces i. Non licere Catholicis, ut suam Religionem occultent, & hoc modo gravia incommoda vitent, comedere carnes in diebus, quibus ab Ecclesia prohibentur, & ab hæreticis instituti sunt in signum suæ falsæ sectæ, v. g. feria 6. apud Anglos,

glos, inter quos signum est Calvinismi, vesci ea die carnibus. Ita cum Leandro à SS. Trinit. part. 6. Tract. 2. Disp. 3. Q. 56. & aliis. Ratio est, quia talis comedio in his circumstantiis determinatur ad significantiam aut defectionem à fide, & obedientia Ecclesiæ ; aut professionem Calvinisticæ sectæ.

20. Deduc. 2. Non esse illicitum Catholico vesci carnibus in diebus prohibitis, qui alios non habet cibos, & ita fame & morbo urgeretur, ut, si illis non vescatur, animam ageret. Ita Leander cit. loc. cum aliis Ratio est, quia in hoc casu nullus posset prudenter judicare, eum id facere dependenter à ratione extrinseca significandi comedioni carnium imposita ; sed omnes intelligere deberent, eum id facere ratione extremæ necessitatis, quam habet, comedendi carnes, ne fame, vel morte opprimatur. Et planè in his circumstantiis comedio carnium non habet vim significandi fallam religionem, nec pro illo casu huic comedioni ratio talis signi imponi potest, cùm tantum imponi possit illis, quæ liberè exerceri, vel non exerceri valent, non verò, quæ necessariò exercenda sunt ; est enim ridiculum, instituere in signum Lutheranæ v. g. Religionis respirationem hominis, quæ sine morte vitari non potest.

21. Deduc. 3. peccare Catholicum, qui ab hæreticis coactus ad esum carnium, in contemptum præcepti Ecclesiastici, vel potestatis Pontificiæ vesceretur illis, etiam ob mortem vitandam. Ita cum Herincx Tom. 3. Disp. 8. Q. 3. & aliis. Ratio est, quia sic præceptum Ecclesiasticum contemneret, vel saltem adstantibus appareret contemnere, quod est per se illicitum. Nec juvat, quod talis contestetur, id à se non fieri in contemptum legis Ecclesiasticae, sed tantum ob conservandam vitam; nam factum hoc externum, videlicet comedere cibos prohibitos prudenter adscribitur irreligioni.

22. Deduc. 4. prohibitum esse Catholicos comedere carnes, si ex illa comeditione oriretur scandalum, v. g. si alij putantes, eum à fide defecisse, ad idem incitarentur. Ita cum Palao part. I. Tract. 4. Disp. I. Punct. 17. & aliis. Ratio est, quia talis comedatio tunc cederet in grave fidei Catholicæ & animarum detrimentum, quod juxta communem cum gravi suo periculo vita re tenetur.

23. Deduc. 5. peccare Catholicum, qui nulla usus protestatione contraria comederet carnes vetitas, ab hæretico principe, vel alia persona appositas, ad explorandum, an sit Catholicus. Ita cum Herincx

riacx Tom. 3. Disp. 8. Q. 3. & aliis. Ratio est, quia in his circumstantiis talis comedio carnium verè determinaretur ad significantiam professionem contrariam fidei, aut defctionem ab obedientia Ecclesiæ, ac defctionem à fide.

24 Deduc. 6. si Catholici versantes inter hæreticos, diebus ab Ecclesia prohibitis, edunt carnes, quia alias irriderentur, aut si sine notabili periculo necessitatem edendi possunt aliqua industria evitare, prætendendo aliam causam, cur velint abstinere à carnisbus v. g. debilitatem stomachi, vel nau-seam, aut aliquod simile, peccant. Ita Coninck Disp. 15. Dub. 3. & aliis. Ratio est, quia irrisio non est tanti momenti, ut propter illam debeat violari lex Ecclesiæ. Si autem habent causam se excusandi à tali comedione, per se liquet, comedere tunc contra præceptum, esse illicitum.

25. Sciatur denique, periculum sufficiens ad comedendas carnes diebus prohibitis debere esse imminens & magnum, unde raro hic casus contingere videtur, cum vix non semper possit quis prætendere alias rationes non comedendi carnes, ut, quod officiant stomacho, quod magis placeant pisces, aut ova, aut alij cibi, aut quod velit parcere sumptibus, aut quod promiserit aliqui magno amico abstinere aliquot diebus à

carnibus , aut alias similes occasiones juxta locum , tempus , personas . Quia in re malim esse scrupulosior , quam laxior ; & magis velim inniti providentiae divinæ , quam humanæ , quando non omitterentur media humana valde directe , & per se conducedantia ad evadendum periculum , nec fierent directe , & ex proposito illa , à quibus oriri deberet , quæ raro contingent in casu eis carnium . Et hoc addo propter nimiam aliquorum libertatem , qui ad primam apparentiam difficultatis , non curant transgredi Ecclesiæ præcepta .

26. Dico igitur . Nullo modo , ne quidem ad mortem vitandam , licitum est Catholico uti vestibus destinatis per se ad cultum falsæ Religionis , ut sunt eæ , quibus Ministri idolorum utuntur suis cœremoniis : nec etiam ullis vestibus institutis ad dignoscendum professores falsæ Religionis , à professoribus verae Religionis : nec etiam vestibus , quibus Sacerdotes falsæ Religionis communiter utuntur extra tempus cœremoniarum faciendarum , & quibus à reliqua multitudine discriminantur : nec vestibus institutis à republica , aut principe , non insignum profitendæ fidei , sed insignum distinguendi eos , qui profiterentur fidem illam , ab aliis , qui non profiterentur : licite

tamen posset quis, gravi urgente necessitate, uti vestibus, quibus communiter utuntur infideles, & haeretici, non ut professores suæ falsæ fidei, sed ut homines talis partis mundi, quibusque propterea uterentur, quamvis non essent infideles, & haeretici. Ita Sylvester verbo *Apostasia*. N. 4. Navarrus cap. 11. N. 27. Pontius, Toletus &c. Prob. prima pars, quod non liceat uti vestibus destinatis per se ad cultum falsæ religionis. Gestatio talium vestium ex communi hominum usu, & estimatione determinata est ad significandum cultum falsum, & tales vestes à nullo præsumuntur esse assumptæ, nisi causâ offerendi sacrificium, & ut reverenter, & authoritativè offeratur: ergo Catholico non licet portare tales vestes. antec. prob. cum vestes istæ superponantur aliis usualibus, quibus corpus est sufficierter coopertum, & à temporum inclematijs defensum, non potest præsumi ad hunc finem assumi: neque potest præsumi esse assumptas ad corporis elegantiam, & pulchritudinem, cum aliis occasionibus, in quibus hæc elegantia & pulchritudo maximè intenditur, vestes illæ non assumantur, neque liceat eas assumere: ergo tantum causâ offerendi sacrificia v. g. consequenter talis gestatio est determinata ad signandum cultum falsum. Confirm. Si-

44 *Quæstio II. An liceat Catholicos?*

liceret in aliquo casu uti talibus vestibus, etiam in casu quodam licitum erit incensare idolum: sed hoc est falsum: ergo &c. Maj. prob. ista incensatio ex natura rei tam indifferens est, ac usus talium vestium: ergo si unum licet, licebit & alterum. Accedit, quod falsæ sectæ eō major honor accrescat, quod plures induiti appareant vestibus illam protestantibus.

27. Prob. 2. 3. & 4. pars: ad salvandam vitam non liceret, etiam cum æquivalente uti verbis significantibus, quod quis profiteretur fidem falsam: sed utendo istis vestibus specificatis in 2. 3. & 4. parte conclusionis fieret talis manifestatio: ergo non licet eis uti in illo casu. Maj. probata manet Q. præcedenti. Min. patet. Sed respondent aliqui, non esse idem de vestibus, ac de vocibus, voces enim alium usum non habent, quam significare, vestes autem habent; unde vestium usus potest abstrahi à significatione, non verò usus vocum. Sed planè hæc responsio nimium probat, nam sequeretur, quod quis posset negare fidem verbis æquivocis, aut amphibologicis, quia cum talia verba habeant alium usum, quam significare negationem fidei, nempe significare illud aliud, quod æquivocè significant, possent abstrahi ab illa significatione ne-

negationis fidei , & sic liceret ijs uti ad salvandam vitam , quod est falsum. Sequeretur 2. quod eadem ratione liceret uti vestibus per se ordinatis ad cultum idolorum , quia habent etiam alium usum , ut arcerere frigus , tegere corpus &c. hoc autem est illicitum juxta ipsos Adversarios.

28. Respondent AA. 2. quod vestes illæ , licet in aliis circumstantiis significarent professionem externam falsæ Religionis , non tamen in casu , quo quis v. g. irruentibus turcis , aut hæreticis interficitur , iis uteretur , quia tunc potius significarent , quod utens vellet latere. Sed contra primò , quia sic in tali casu posset Catholicus uti vestibus ordinatis ad cultum idolorum , nam tam benè istæ vestes in illo casu , & circumstantiis deberent solum significare intentionem latendi , non verò professionem istius cultus , ut patet ex paritate rationis ; ipsi met autem Doctores , qui utuntur prædicta responsione pro fundamento suæ sententiæ , tenent , non licere uti vestibus ordinatis ad cultum idolorum in tali casu , consequenter nec licet uti illis vestibus aliis. Contra est 2. quia nulla est ratio , cur per illas vestes non existimarent infideles in illo casu , quod saltem externè , & obmetum quis profiteretur fidem falsam , tam benè , quam per verba æquivoca saltem : ergo si per talia verba signi-

significaretur in illo casu talis professio , etiam significaretur per illas vestes. Nec juvat dicere , verba immediatè in illo casu significare professionem fidei falsæ , & negationem positivam veræ , per vestes vero significari tantum occultationem personæ : nam in primis hoc gratis dicitur , & propere sic posset dici , quod vestes sacrificiorum ordinatæ ad cultum in tali casu significant occultationem personæ . Deinde non occultaretur persona per illas vestes in tali casu , nisi quatenus denotant ipsum , qui ijs utitur , esse istius falsæ religionis : consequenter vestes in tali casu non solum significant occultationem personæ , sed etiam , & quidem principaliter professionem alterius fidei.

29. Prob. Conclusio 2. præsertim quoad vestes institutas pro signo distinctivo infidelium , seu hæreticorum à Catholicis : non licet adire templa hæreticorum , quando est signum distinctivum etiam ad vitandam mortem : ergo nec uti ijs vestibus. ant. est communis sententia , & probatum supra. Consequentia liquet à paritate rationis : & sanè quacunque ratione metus mortis posset sufficere , ut usus istarum vestium non esset signum distinctivum , eadem sequeretur , quod similis metus efficeret,

ceret, ut adire templa hæretica non esset signum distinctivum.

30. Prob. denique ultima pars conclusio-
nis, quod liceat uti vestibus, quibus com-
muniter utuntur infideles, vel hæretici so-
li: tales vestes non sunt ullo modo institutæ
ad denotandum externè professionem ejus:
ergo nihil impedit, quod minus gravi urgen-
te necessitate quis iis vestibus utatur; hoc
modo enim non negat suam fidem, nec alien-
nam sectam profitetur, sed ad summum si-
mularer se esse talis rationis: estο alij inde
decipientur, putantes, eum, qui iis utere-
tur, eadem ratione, qua externè præsefer-
ret, esse hominem ex illis partibus, esse etiam
professorem fidei illarum partium, quia hoc
non colligeretur, nisi indirectè, vel mediani-
te discursu non sufficienter concludente;
unde alius non teneretur cum suo gravi de-
trimento cavere, quod minus id putarent, &
colligerent. Dixi autem *gravi urgente
necessitate*, quia non potest permittere sine
sufficienti causa deceptionem proximi, præ-
sertim cum ille ipse habeat aliquam speciem
mali annexam, licet per accidens, v. g. sig-
nificationem aliquam falsæ Religionis. Ex
his.

31. Coll. 1. Non licere Catholicis ge-
stare in collo, clypeis, aut vexillis signa,
qua sunt imaginis Mahometis, Hæresiarcha-
Cal.

Calvini, Lutheri &c. Item illicitum est Catholicos portare Judæorum flavum pileum Romæ, vel annulum flavum in pallio Francfurti &c. Item prohibitum est Catholicos gestare byretum, & sagum multiplicatile prædicantium in Germania, ut, dum ad necem quæritur, incognitus effugiat, ob easdem authoritates, & rationes in conclusione positas; ratione quarum abominanda est praxis quorundam frigidorum Catholicorum, qui per terras hæreticorum peregrinantes, & negotiantes à Magistratu hæretico salvos conductus, & Syngraphas acceptant, quibus significatur eos ejusdem esse Religionis.

32. Coll. 2. Licere Catholicis pugnantibus contra hæreticos, aut turcas affigere suis vexillis signa, quæ in suis ipsis gestare solent, modò non sint alicujus falsi Dei: nam hoc non est eorum sectam simulare, sed quoddam genus insidiarum, quibus hostes utuntur, ut sic vel interitum effugiant, vel eos certè incautos vincant, & capiant. Item licet Catholicis in triremibus, & navibus gestare signa turcarum, & hæreticorum, ut eos aggrediantur tutiùs, & fugiant securius; Ratio est, quia ita habet usus omnium fidelium etiam Deum timentium, qui sine omni scrupulo illo remedio utuntur ad suas actiones rectè dirigendas,

das, & ita videtur quasi communi usu gentium receptum ; ut in præfatis occasionibus uti liceat ejusmodi industria ; & quasi stratagemate ; sic commune est, hostes indui suorum hostium vestibus ; unde turca videns in Danubio , vel mari navim cum Gentilitio lunæ , imprudenter censeret navim illam esse turcarum , sed si prudens sit , debet timere , ne sit Cæsar , vel aliorum Christianorum. Licitum est insuper Catholicis exploratoribus , uti lingua, & habitu turcarum , & hæreticorum , ad scrutanda eorum secreta , postea detegenda principibus Catholicis , quia more gentium apud omnes nationes est introductum , & apud nos passim sine scrupulo , & bonâ conscientiâ practicatur.

33. Coll. 3. Catholicis turcarum regiones transiuntibus ad evitandum grave periculum licere uti veste oblonga , & cylindri turcarum propriâ , quam turbantem appellant. Sic in Saxonia , Anglia &c. licitum etiam est Catholicis uti eorum vestibus ; item Religiosi possunt induere vestem laicalem , deposito habitu Religioso , talis enim vestis non indicat sectam , sed solum nationem. Unde summus Pontifex mittens Religiosos , & Sacerdotes in Americam v. g. illis permittit , ut Americanorum more induantur. Tandem posset Ca-

tholicus , dum esset detecto capite, impo-
nere sibi Romæ v. g. pileum flavum Judæ-
orum , ut se à pluvia defendereret, si præten-
tibus omnibus clare constet , non accipi ad
significandum Judaismum , sed ne pluvia illi
noceat , nam tunc talis usus est omnino ma-
terialis. Similiter si homo aliis vestibus
nudus humili jaceret, vestibus destinatis pro
idolorum sacrificiis involutus , non cense-
retur eis uti cultūs causa , sed externa ne-
cessitate coactus, quia non habebat vestes
alias, quibus corpus tegeret , & à frigore
defenderet. Sic etiam, si quis talibus ve-
stibus indueretur in comœdiis repræsen-
tationis causa, certum est, tunc non significa-
re cultum dijs falsis exhibitum ; sicut cum
histrio personam infidelis agens , verba
blasphemiae profert, non censetur blasphemus ,
sed repræsentator alienæ blasphemie.
Hæc ergo licent Catholicis , quando
tamen per ista non scandalizarent alios Ca-
tholicos, quorum scandalum vitare tenen-
tur.

34. Quid Lutherana secta non simu-
landa ? Cùm tanta circa D. Martinum Lu-
therum ducem hujus sectæ Deus patrave-
rit miracula ? præter dictum etenim mira-
culum , quod Deus Lutherum in infantia ,
& vitæ ingressu ab igne tutum conservave-
rit, sequitur secundum , & tertium , nimi-
rum,

rum, quod Lutherus singulari providentia divina ab igne cœlesti, sive fulgere, & fulmine liberatus fuerit: nec non quod scripta Lutheri singulari providentia Dei ignis (incendio) flammæ erepta fuerint, jure Canonico, & Bulla Pontificis igne consumptis: sic enim pergit citatus Pastor Lutheranus, *ad legis culum, & juris studium animum adiecit, ut ad reipublicæ aliquando Gubernacula admotus usui, emolumenque patriæ, ornamento familiis, gaudio & oblectamento parentibus, sanguineque junctis esse posset.* At enim Deo aliter visum, studio juris cum semet mancipasset noster, fulminis ictu horrendo, & inopinato &c. territus studiis juris prudentiae valedixit, summi enim rerum Moderatoris Dei cœlestè monitum hoc fulmen esse iudicavit &c. Firmum animi propositum auxit commilitonis Alexij misera mors. Studiis igitur juris valere jussis, Augustinianorum Monasterium Erfordia notum, invitis licet parentibus, ingressus est: ut Staupitij auctoritate anno 1507. Dominica Cantate in Sacerdotem ordinatus, sacrificandi prœ vivis, & mortuis potestatem consequeretur &c. ut lethalem metiam, ob labores nimios studiorum causa suscepitos, morbum incideret &c. Cujus etiam insti-

52 Quæstio II. An liceat Catholico

et tu anno 1508. à Friderico Electore Sa-
xonia ad illustrandam Wittenbergensem
Academiam, & officium Dialetices, Phy-
sicasque Doctoris subeundum vocatus es-
&c. Hinc tanto inter Ordinis sui viros
viguit applausu, & authoritate, ut anno
1510. ad componenda, quæ inter Mona-
chos orta erant dissidia, Romam ablega-
retur. Idem pater à prefato Magistro
nostro Andrea Doctoralibus insignis in
Sacra Theologia secundum formam statu-
torum est insignitus &c. Tantis excita-
tus abusibus reverendus in Christo, san-
cta que memoria Pater D. Martinus Lu-
therus pramissis Concionibus elencticis
hypothesum Tezelii examen in XCV. the-
sisbus ad valvas templi cathedralis, seu
omnium Sanctorum in Alma Wittenber-
gensi affixis, atque ad disputandum anno
1517. die 31. Octob. publicè propositis sus-
cepit, atque hac ratione salutare refor-
mationis opus præter spem, & opinionem,
divina dirigente providentia, & ductu
Spiritus S. feliciter est exorsus Theander
&c. Quibus laudabiliter peractis moli-
minibus Leonis Papæ X. adeò incurrit odia,
ut eodem anno 1518. die 23. August. Ro-
manum citaretur ad dicendam causam, &
defensionem thesum &c. Sed Consilio
Electoris SAXONIAE Friderici cœres fuit ad-
du-

ducta, ut Augustam Vindelicum adiret, ibique coram Legato Pontificis Thoma de Vio Cajetano reformationis, & conatum rationem redderet &c. Crescebat felicitas, & animus heroicus augebatur, cum animum adjiceret ad diem 10. Decemb. anno 1520. Leonis X. Pontificis Romani crudelē Bullam excommunicatoriam, & jus Canonicum in Academiæ Wittenbergensis locis illustribus comburendam &c.

35. Sed cujus classis sunt hæc miracula? videamus: verum est, Lutherum juris studium aggressum esse, sed quod ad Reipublicæ aliquando gubernacula admotus usui, & emolumento patriæ, & ornamento familiis, gaudio parentibus esse aliquando potuisset, spes alluxit nulla, à cunabulis etenim in tota sua juventute audacem, ferocem, ac pertulantem puerum agebat, ob quem sua Mater sèpè ingemuit, ac iram Dei super ipsum venturam verita est; quippe à juventis Lutherus vera mente in Deum nunquam confidit, sed eum instar diaboli pertimuit, Deumque tyrannum reputavit, ut sèpiùs in suis scriptis palam facit, teste nostro P. Nass. Cent. 5. fol. 70. cum aliis. Sic eum Deus tanquam vas suæ iræ super Ecclesiam, ejusque Sacra menta permisit, ut facile patet ex propria confessione Lutheri, teste eo-

§4 *Quæstio II. An liceat Catholico*

dem P. Nass, nimirum quod aliquando ut
juvenis vestibus Sacerdotalibus indutus in
festo Corporis Christi Islebiæ ad Doctorem
Staupizium SS. Sacramentum portantem
venerit, ibique coram SS. Sacramento tan-
to metu turbatus sit, ac tremuerit, ut puta-
verit, sibi præ metu & horrore vitam effun-
dendam esse. Forsan ideo postmodum tam
infensissimus hujus SS. Sacramenti evasit
hostis. Quale emolumenntum patriæ, or-
namentum, & gaudium parentibus speran-
dum fuit ex tam ignobili & vitiosa vita à te-
neris? Cæterū concedimus, fulminis iectu
territum, & prostratum fuisse; imo & hoc
transmittimus, quod judicaverit, hoc ful-
men fuisse monitum Dei: sed quid tum? per-
diti Judæi Christum vincituri vinculis, mor-
tique tradituri, duobus Christi verbis ter-
riti, ac in terram prostrati sunt. Saulus
Christi hostis infensissimus, exterritus, at-
que in terram dejectus est. Secutus est
Saulus hoc monitum Dei, conversus, Chri-
sti Ecclesiam ingressus, ibique in amore Dei
perseveravit; Lutherus Ordinem reliquit,
ac perjurus Apostata, suæ Matris Ecclesiæ,
ac Religionis factus est persecutor. Insu-
per verum est, quod Lutherus postea in-
gressus sit Monasterium Eratrum S. Augu-
stini, factaque ibi legitima post annum
probationis, Ordinis illius professione, be-

nè in studiis militaverit, ac tandem in Sacerdotem ordinatus sit: sed occultum suum spiritum diu celare non valuit, cum enim munere sacrissimæ fungi deberet, se nimis oneratum esse conquestus est; præsertim dum collectorem agere, & mendicare jussus fuerat. Dicebat videlicet intra se cum villico iniquitatis, fodere non valeo, mendicare erubesco, ergo astu utar, quo bona Domini mei extenuem.

36. Fallum autem est, quod in lethalem ob labores nimios, studiorum causa suscep-tos, inciderit morbum: visus enim fuit suis fratribus, singularitatem habere, sive ex occulto aliquo cum dæmone commercio, sive ex morbo commitali: tum præcipue, quod semel in choro, cum in Missa legeretur Evangelium, de ejusq; à surdo, & muto dæmonio, repente conciderit, vociferans, *non sum, non sum*: similia de seipso aliquando scripsit, quod cum diabolo modium falsis consumperit. Et proprium edidit Germanicè librum de angulari (ut vocatur) Missa, ubi diaboli contra Missam disputationem secum habitam noctu commemorat, testibus P. Nass. Cent. 5. fol. 75. P. Cochlaeo, Laingæo Scoto &c. Sunt & alia non pauca hac de re argumenta, quod etiam corporaliter quibusdam visus fuerit cum eo conversari, devotissimus nimirum diaboli

discipulus Monachus Lutherus. Cum Mis-
sam erat celebraturus, teste P. Nass, & a-
liis, joci causa dicebat, ibo, & Virgini infan-
tem levabo &c. Ecce Sacerdos magnus!
Jam, quām mirè illustraverit Wittenber-
gensium Academiam, dispiciamus: fate-
tur ipse Mathesius Lutheranus conc. i. fol.
6. (uti videre est in cit. centuria patris Nass)
quòd Lutherus Wittenbergæ strenuè di-
sputaverit contra antiquos Doctores: Tho-
mam Albertum, & alios, Sophistas, & A-
sinos vocabat: S. Thomam Aquinatum nun-
cupabat Gerronem, Blaterone: ei displicuit
in multis S. August. & S. Hieronymus di-
cendo, Hieronymum esse hæreticum, nec
numerandum esse inter Doctores Ecclesiæ:
nullum scio (fatetur ipsem Lutherus in
suis serm. mensal. fol. 531.) inter Doctores,
quem magis odio insector, quām Hierony-
num, nil enim scribit, nisi de cibis jejunali-
bus, Virginitate &c. En Magistrum!

In rostris doceas Gerasenis spurce Magi-
ster:

Hui! hui! Pastores discite scire suūm.

37. Tandem orta inter fratres ordinis
sui discordia, delectus in litis procuratorem,
Romam p̄fectorus est, eō quòd esset ad con-
tradicendum Audax, & vehemens. In suo

au-

autem adventu horribile monstrum Rayennæ in mundum prodiit idea Lutheri. Ea autem lite inter partes, transactionibus nescio quibus, composita & finita, ille Wittenbergam reversus in Theologia creatus est coniuxa celebritate Doctor, & sic publicum juramentum ad Evangelium deposuit, se velle tota sua vita fidem Catholicam tueri, defendere, ac propugnare prædicando, disputando, scribendo contra omnes hæreticos, Romanæ Ecclesiæ resistentes; sed quomodo juramentum hoc suum servavit? audi: teste P. Nass. centur. 5. fol. 88. & 89. & 96. ac 97. Cochlaeo, & aliis, Academiam, in qua Doctor creatus est, asinorum stabulum, imò lupanar diaboli indigtabat: gloriatur se doctorem esse omnibus Philosophis, & Papistis: majori intelligentia se Aristotelem legisse, quam S. Thomas, vel Scotus: iterum ostentat se esse magnum Doctorem, excellentem super omnes Episcopos, Religiosos, & alios Clericos. Item alibi superbia diabolica se jactavit, quod in tanta sit fama & gloria, (sive hoc diabolo placeat, sive displiceat) ut à tempore Apostolorum nullus Doctor, nec Author, nullus Theologus, nec jurista tanta patraverit ipso, cui nec S. Augustinus, nec S. Ambrosius comparandus est. Electus Viciarius Provinciæ, & Visitator Monasterio-

rum fratrum & sororum sui Ordinis, & Ba-
 cho, & Veneri devotissimè se mancipavit:
 correctus postmodum à suis, in furiā aëtus
 rejicit Aristotelem, damnavit Theologi-
 am Scholasticam, præceptoria, confessio-
 nalia &c. à die ad diem evasit magis & ma-
 gis ferox, protervus, obscoenus, ita, ut
 jam ante illam indulgentiarum promulga-
 tionem, procax, luxuriosus, ambitiosus
 vocatus sit Doctor, ac hæreticus, ver-
 bo, Cæsaream Majestatem contempsit, Ec-
 clesiam Catholicam suam matrem impug-
 navit, fidem conculcavit, cucullus effren-
 nis, perjurus, perfidus factus est hæresiar-
 charum pronymphus. Et adhuc dicere
 audeant hæretici Lutherani, quod hac ra-
 tione salutare reformationis opus, præter
 spem, & opinionem, divina dirigente
 providentia & ductu Spiritus S. exorsus
 sit ille diaboli discipulus, ille bibliomastix, &
 sacrilegus sacræ scripturæ falsarius, ille su-
 perbus, ebriosus, mendax, spurcus, & ma-
 ledicuſ scurra, ac seditionis flagrio Lüthe-
 rus? Non inferior, exorsus est hoc opus
 ductu Spiritus S. diabolus enim est spiritus,
 quem Lutherus vocat sanctum, nam in suis
 serm. mensal. fol. 286. devotissima mente
 invocat diabolum, *sancte satan ora pro
 me.* Interea Romæ procurabatur citatio,
 qua per Fiscalem Papæ vocabatur in ius

Lu-

Lutherus, qui conquestus de insidiis perducem Saxonie Fridericum solicitavit, ut causa ad partes committeretur; commissa igitur fuit Thomae de Vio Cajetano Cardinali; ne ergo Lutherus omnino contumax, & rebellis videretur, comparuit coram illo Augustæ; minatur Legatus, quod nisi revocet, censuris ex Papæ mandato sit illigandus; Lutherus verò dum hoc audierat, præsertim quod Legatus haberet mandatum, ac ipsum, & Staupitium capiendo, & incarerandi, petiit deliberandi tempus, & anxietate plenus cœpit occulte per amicos solicitare Cæsareanos pro impe- trando salvo conductu: quo impetrato, excessit, erupit, evasit cucullatus nequam. Tandem hæreticus Romæ damnatus, & promulgatus cœpit scribere teuthonicè ad Carolum V. jam tunc Cæsarem Electum, & ad Christianam nobilitatem Germaniæ, superaddens præterea calumnias nec leves, nec paucas in Roman. Pontifices &c. Ubi ergo sensit hunc librum à laicis suis non solum æquis animis legi, sed etiam cum plausu excipi, & audiri, factus inde audacior, facinus attentavit, atque etiam perpetrat- vit, audacissimum sanè, & omnibus retro, sæculis inauditum, quippe Sacros Canones, & Sanctorum Patrum Decreta, totumque jus pontificium, simul cum saluberrimis.

Bullis Papalibus, litterisque & sigillis indulgentiarum publicè damnavit ad ignem, & combussit: ratio hujus furoris attentati erat inter alias, ut ipsemet teste Cochlaeo, Nass &c. fatetur dicendo, *summa summarum totius juris Canonici hæc est, Papa est Deus in terris &c. est Deo & hominibus superior &c.* Stupor! summa summarum omnium stultitarum tuarum hæc est, cùm non sint nisi calumniæ, & mendacia manifesta: sed non mirum, quia ex patre diabolo. Sic tandem verum est, quod canit Æneas Sylv.

Non audet stygius Pluto tentare, quod
audet

Effrenis Monachus, plenâque fraudis
anus.

Q U A E S T I O III.

*An Catholici tempore perse-
cutionis possint, vel teneantur fugere
Turcas, Calvinistas, & Lutherans,
in Orthodoxos sœvi-
entes.*

I. **Q**uàm crudeli Lutherus cum suis ve-
ram Romanam Ecclesiam, ejus-
que

que fideles Catholicos persecutus est rabie, cruentis etiam lachrimis haud sat est explorandum : bestia illa ascendens septem Capitum Lutherus tentavit Cæsares, Reges, Principes, Comites, Barones, ac Nobiles contra Ecclesiam; cives, rusticos, & opifices, contra Cælarem, Reges & Principes; hos omnes contra Christi Vicarium, in panoletriam patriæ, atque Ecclesiæ Sanctæ oppressionem. Clamat rusticorum bellum; gemit Belgium; dolet Anglia, jacuit pars magna Galliæ. Plurimos ab avita, & orthodoxa fide abduxit; templa S. Dei, in stabula equorum & canum, intabernas, & balneas convertit. Non quietavit Harpyias, necessaria religionis surripere, dare mulieribus, vestitos detinudare, egenos spoliare, miseros opprimere Religiosos; sicque tunicam Christi divisit, partemque sibi, partemque Magistratui ipsi obedienti, partemque suæ Catharinæ à se ad incestum raptæ divisit. Heu! fuge crudeles terras. Hinc

2. Dico: tempore persecutionis licet Catholicis quandoque fugere, ne examinentur, aut Martyrio ob Confessam fidem affiantur; imò quandoque quis obligatur ad fugiendum; sed tamen quandoque etiam quis licite potest non solum non fugere, sed exponere se examini, & Martyrio; & quando-

doquē pariter tenebitur homi fugere. Ita Herinck Tom. 3. Disp. 8. Q. 1. Palao. Tract. 4. Disp. 1. Punet. 15. Aretinus &c. cum communi; quamvis Tertullianus oppositum docuisse videatur, in libello hāc de re particulariter scripto, teste P. Herinck. Prob. Conclusio. 1. Christus Dominus sāpē à Jūdæis fugiendo, præsertim Marci. 2. & 4. Joann. 8. & 10. docuit exemplo suo, id fieri posse. Idem docuit verbis Math. 10. *cum autem per sequentur vos in civitate ista, fugire in aliam: quod præceptum, seu consilium ipsius (perinde est, quantum ad propositum, quia Christus nec præcepit, nec consuluit unquam, quod erat illicitum)* Paulus adimperavit ipsomet testante 2. Corinth. 11. *per murum in sporta demissus sum, & sic evasi manus ejus.* Et Petrus act. 12. aliique multi sanctissimi Martyres, & Confessores, ac nominatim S. Athanasius, qui etiam Apologiam de sua fuga edit, in qua id licere docte, & fusè ostendit, in qua doctrina cum ipso convenit Cyprianus, Nazianzenus, D. Gregorius &c. ergo &c.

3. Prob. 2. Non constat, esse ullum præceptum de non fugienda persecutione, imò fugiens potius fidem promovet, & manifestat, propter illam enim fugâ se subdit, & exulat. Accedit, quod homo possit dubita-

bitare de infirmitate sua, & sic fugiendo imbecillitati suæ prospicere, nisi quando magna necessitas exponendi se, obligaret, tunc enim deberet in Domino confidere, qui non patitur tribulari supra id, quod possumus, & sperantes in se non confundit. Unde quando non est talis necessitas, aut impulsus particularis Spiritus S. optimè facit fugiendo. Nec obstat, si dicatur, Apostoli culpantur, quod fugerint à Christo, cum caperetur; & in historia 40. Martyrum unus ille, qui fugit, eò ipso inconstans reputabatur in fide, consequenter non licet fugere: non obstat, inquam, nam & primò cum Suarez, Apostolos non peccasse fugiendo præcisè, nisi quatenus fuga ipsorum fuit conjuncta cum dubia fide, aut scandalo; an autem sic fuerit conjuncta, negat Suarez esse certum; & perinde est ad propositum hujus loci; nam si non fuerit, negandum est, eos peccasse; si fuerit, concedendum est, illos peccasse, sed non præcisè ratione fugæ: unde illorum exemplum nihil facit contraria conclusionem. & 2. neg. conseq. quia illi poterant fuisse obligati ad non fugiendum propter circumstantiam præsentia Christi Domini, ac Magistri sui, à quo tot beneficia receperunt, & quem propterea deberent existimare, se obligatos adjuvare in tam gravi occasione, quamvis alias in aliis cir-

cum;

cumstantiis non essent semper obligati , ad non fugiendam persecutionem. Ad illud de illo uno ex quadraginta & dist. ante. non ratione fugæ præcisè , sed quatenus fuga illa ad aquas calidiores , erat præstitutum signum derelictæ fidei , aut eam non confitendi , ut patet ex ipsamet historia C. eò ipso quod fugerit , & ratione fugæ præcisè N.

4. Non valet argumentum Tertullianus quando dicit , persecutio nunquam imminet , nisi Deo permittente , aut ordinante : sed non est licitum fugere ab eo , quod Deus ordinat , aut permittit : ergo &c. nihil valet , inquam , nam ex hoc sequeretur quod neque possemus fugere pestem , aut alias infirmitates , quia certè non fiunt , nisi Deo permittente , aut ordinante : sed hoc absurdum esse , sine dubio fateretur ipse Tertullianus. Nego ergo Min. nisi etiam ordinet præcipiendo , ut nos non fugiamus , non autem ordinavit , ut nos non declinemus persecutio[n]es , quas ordinat , aut permittit. Credis utique , licere tibi , imò te obligatum esse , fugere tentationes carnis , & adversus carnis somitem reluctari ? Est tamen hic formes datus nobis à Deo tanquam tyrannus ad nostrum exercitium in pœnam , & vindictam peccati primi , quique bellum indesinenter gerit adversus spiritum nostrum. Nonne falacissimæ simulque injuriosissimi-

fissimæ sunt illæ propositiones , quas teste Joanne Roffensi eructavit septiformis illa bestia Lutherus , *præliari adversus turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos &c.* Quid ergo dicam ego ; quoniam hic video plus , quam quadrin- gentos Prophetas Baal suum Achab (in- telligit summum Pontificem) circumsta- re , & ut ascendat in Ramoth Galaad suis prophetiis animare , & omnia prospera ei- nunciare ? forse sicut Michaæs , qui & ip- se odiosus erat , quia non prophetabat nisi malum ; dicam & ipse meo Achab , ite , præliamini contra turcas ; ut resistatis Virgæ Dæi , & cadatis , sicut & ille cecidit &c. Qui habet aures audiendi , audi- at ; & à bello turcico abstineat , donec Papa nomen sub cælo valeat , dixi. Valde benè , ut supra. Nec tandem sequitur , ut volunt Montanistæ , quod quis fugiendo in persecutione , ostendat sè esse inconstan- tem , & vacillare in fide , quia potius per fu- gam implicitè confitetur fidem ; & eam esse certam.

5. Prob. 2: Pars conclusionis ; quod fuga interdum possit aliquibus esse in præ- cepto. Potest is , cui imminet persecutio ; esse persona publica , & ad alios instruen- dos , ac conservandos in fide valde necessa- ria : sed tunc videtur omnino ex charitate

obligari ad declinandam persecutionem , ut docet S. Gregorius , & S. August. Tract. 46. exemplo Pauli , qui se utilitati fidelium fugiendo servavit. Imò posset oriri obligatio illa fugiendi ex ipsomet præcepto fideli , quando quis rationabiliter timeret , si non fugeret , se succumbere temptationi : ergo &c.

6. Prob. 3. pars , nimirum quòd non nullis fuga possit esse libera , sic ut tantùm sit consilium , aut fugere , aut non fugere. Non habemus præceptum fugiendi ; nam illud , *fugite in altam civitatem* , licentia est , non præceptum ; & talis persistendo in persecutione potest imbecilles in fide robore , ac alios ad fidem convertere , atque *ex parte sui* , morali periculo negandi fidem sè non exponit : ergo licitum erit etiam non fugere. Confirm. exemplo D. Sebastiani , qui diu occultavit fidem , quoque fidem Marci & Marcelliani periclitari sensit , tunc enim se manifestavit , quæ manifestatio multùm commendatur ab Ecclesia. Item multæ sanctæ Virgines latitarunt sine peccato , manentes fideles , & tamen Zelo Dei ductæ prodierunt in publicum , & nomen Christi confessæ sunt , & noluerunt habere viros , quod erat licitum , sed manere in sancta Virginitate , ut patet de B. B. Catharina , Christina , & multis aliis , quæ tamen

men in hoc laudantur. Item in principio nascentis Religionis nostræ Seraphicæ sub Miramolino in occidentali Hesperia semel quinque fratres; & iterum apud Cæptam Saracenorū septem idem fecerunt, quibus non erat præceptum adeundi Agarenos plūs, quam aliis hoc onus non accipientibus, qui tamen ut Sancti Martyres ab Ecclesia venerantur: ergo &c. Nec facit contra conclusionem, quod præceptum sit servare vitam, nam in his circumstantiis definit esse præceptum, quod alias præceptum foret.

7. Temerarium tametí esset, persistente in persecuzione, & prædicare fidem infidelibus, quando ex tali prædicatione non speratur confirmatio fidelium in fide, nec conversio alicujus infidelis ad fidem, nolite enim dare Sanctum canibus, nec mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & converbi dirumpant vos: Matth. 7. jure ergo prædicandi Evangelium in universo mundo debent homines uti comite prudentia, cùm scilicet pertinent ad dilectionem Dei, & Proximi, & charitatis fructus speratur: & cùm legimus multos ad infideles migrasse, solo animo patjendi martyrium, & quanto mors accepta fuit Deo, quoniam in morte, & post mortem claruerunt miracu-

lis, sciendum est, eos migrasse ad infideles maximo fidei, & charitatis zelo, & insuper non sua authoritate, sed obedientia prælatorum; & præterea multa legimus sanctos fecisse laude dignissima, quæ imitari nobis semper haud licet.

8. Prob. 4. pars, quod quandoque non liceat fugere. Si ex fuga Pastoris v. g. tempore persecutionis imminenter notabile damnum spirituale gregi, absque dubio teneretur non fugere: sed hoc fieret, si fugeret, non enim esset, qui oves curaret docendo necessaria, & Sacra menta ministrando: ergo &c. Min. patet. maj. prob. Pastor debet fungi officio boni pastoris, & non mercenarii: sed ut hoc præstet, tenetur non fugere: ergo &c. min. prob. ex Joann. 10. *bonus pastor animam suam dat pro ovi bus suis, mercenarius vero dimittit oves, & fugit:* ergo ut fungatur officio boni pastoris, obligatur non fugere, sed apud oves permanere. Imò quando tale notabile damnum proximis imminenter, illudque avertere quis posset, exponendo se morti, teneretur ex charitate id facere, quamvis non esset Pastor, aut Prælatus; unde multò magis teneretur ad id Pastor, quia ad hoc non solum ex charitate, sed etiam ex justitia tenetur in communiori sententia succurrere gregi suo; & quamvis

ctiam

etiam non teneretur ex justitia , magis ta-
men ex charitate , quia ratione officii jam
determinatur ipse potius , quam alij. Quan-
do autem immineret hujusmodi necessitas ,
ex circumstantiis loci , temporis , & perso-
narum , est judicandum , & semper potius
aliorum bonorum , & prudentium , quam
suum quis melius sequeretur judicium.

9. Circa hoc autem advertendum est
cum Coninck , quando aliqui Sacerdotes
deberent manere cum periculo vitæ , ur-
gente persecutione , ad instructionem ple-
bis , & aliqui alii possent , aut deberent fu-
gere , ne simili omnes perirent , & careret
plebs instructionibus , nec posset aliter
commode definiri , qui potius deberent ma-
nere , quam discedere , posse sortibus rem
definiri , nihil enim mali in illa decisione in-
cluditur , & est sat's indifferens modus a-
gendi , usitatusque ab Apostolis in electione
Mathiae.. Ex his .

10. Sequitur i. Episcopo , Pastori
&c. licitum esse fugere tempore persecu-
tionis , primò si non manet plebs vel popu-
lus Catholicus , sed omnes vel occisi , vel
dispersi sunt , tunc enim cessat ratio obli-
gans ad manendum. Secundò si persecu-
tio non est communis Pastori & plebi , sed
tantum est contra Pastorem , & illo rece-
dente sunt alij , qui possunt providere plebi ,

& præsertim si adsint hæ duæ considerationes, scilicet, quod vita illius sit valde utilis universalis Ecclesiæ; & si fugiat non propria sponte, sed rogatu, & Consilio aliorum; nam hæ duæ conditiones reddunt fugam magis rationabilem, magis necessariam, & Pastorem magis tutum in conscientia, facile enim potest ex amore proprio decipi.

II. Sequitur 2. Catholicos existentes in Hybernia, Anglia &c. si firmo proposito caruerint, & animi constantia, quod opera divina nunquam negaturi sint fidem; vel experientia comperiunt, ob tormenta, & pericula, quæ illis inferantur, versari in maximo periculo peccandi contra confessionem fidei, teneri potius recedere, & bonorum temporalium detrimentum pati, quam spiritualium. Item tenentur fugere persecutorem, saltē se occultando, & dissimulando, si probabiliter timent, periculum fore, ut ex sua publica confessione sponte oblata, graviter irritetur Tyrannus, aut Rex Acatholicus, & atrocius, in Catholicos desæviat, & gravioribus afficiat tormentis, quibus timere possunt, plures à fide defecturos; in his enim circumstantiis talis permanentia, & manifestatio non cederet in honorem Dei, & proximorum utilitatem.

12. Sequitur 3. etiam Religiosum, qui non est Pastor, si non possit absque gravi detimento spirituali proximorum fuge-re, teneri manere, juxta illud. 1. Joann. 3. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere*, quia videlicet spirituale bonum proximi debet præponi vitæ corporali propriae.

13. Miracula! Miracula! Lutherus edicto Cæsaris Caroli V. Wormatiensi ad ignem condemnatus, providentia Dei mirè conservatur: Lutherus ex tentationis igne ope & providentia divina egreditur, altè iterum inclamat devotissimus Lutheri discipulus citatus Pastor. Series horum piaculorum dico miraculorum ita se habet testibus P. Naff, Cochlæo &c. Lutherus ad Comitia Wormatiensia citatus est à Cæsare Carolo V. dato etiam salvo conductu; paratur itaque currus in modum lecticæ umbrosus, & contra omnes cœli injuriæ munitus: adduntur sibi Comites: quacunque iter faciebant, frequens erat concursus hominum videndi causa monstrum hoc Lutherum: in diversoriis multa propinatio, læta compotatio, musices quoque gaudia, adeò, ut Lutherus ipse alicubi sonora testudine ludens, omnium in se oculos converteret, velut Orpheus quidam, sed ratus adhuc, & cucullatus, eoque

mirabilior : venit tandem Wormatiam, perducitur in conspectu Cæsareæ Majestatis, aliorumque Principum ; interrogatur de suis libris, adhortatur ad revocationem &c. Cæsar tandem, ubi vidit, hominem per admonitiones pias ac clementes, semper magis ac magis pertinacem fieri, mandavit, ut intra XXI. dies ad securitatem suam redeat, sub promissio conductu publico servando. Postmodum Lutherum secutum est edictum Cæsaris, quo Lutherus, & omnes illius aseclæ pro hostibus Romani Imperii justissimè declarati sunt, facta quibuscunque potestate Lutherum capiendi, occidendi, exurendi &c. ne autem hoc ipsi contingeret, Elector Saxonie Lutherum vi simulata capi, & in arcem Wartberg deduci jussit, ubi benè latuit, & benè vixit. Isto in secessu, teste P. Nass. cent. 50. fol. 236. cum dæmone aliquos modios salis consumpsit, cum eo media nocte de abroganda Missa disputavit, quam & à diabolo convictus abrogavit. Isto in loco libros scripsit venenatissimos, ut animos Germanorum plenè permoveret ad defectionem à Sede Apostolica, & in odium Cleri universitatis ex unque Leonem : in libro, quem scripsit in Doctorem Jacobum Latomum, Theologum Lovaniensem, hæc habet : (vide Cochlæum de actis, & scriptis Lu-

the-

cheri fol. 66. & 67.) sedet portentum Roma, in medio Ecclesia, & venditat se pro Deo &c. Et in fine hujus libri ait, ex ijs puro, satis monstratum, Theologiam Scholasticam esse aliud nihil, quam ignorantiam veritatis, & scandalum juxta scripturas positum. Meum vero Consilium dixi, ut adolescens vitet Philosophiam, & Theologiam Scholasticam, ut mortem anima sua. Thomas multa heretica scripsit, & Author est reguantis Aristoteles, vastatoris pia doctrina &c Hæc Doctoris tenebrarum discipulus Lutherus. Denique mentis rabie agitatus, cucullum monasticum abjecit, Monacham scelerato compressu violayit, eamque publicè proxore nuptiis incestuosissimis traduxit, & sic summo sacrosancti conjugii contemptu, summa sanctissimorum votorum contumelia, per nefas abusus est in quotidianum prostibulum. Et hæc sint miracula? hic sit vir divinus? hic Heros? utique: en prodigium: teste Cochlaeo in actis Lutheri anno 1523. Nescium miserè submersum, spe miraculi Lutherus vanis immurmurationibus frustra ad vitam revocare tentavit. Teste Staphylo, aliquando ex discipula sua diabolum ejicere voluit, sed periculum fuit, ne ipse à Dæmone occideretur. Vir utique divinus. Ecce! Tom. I. Wit.

74. *Questio IV. Qualiter Prohibita*

fol. 161. teste Conradi Andreæ fol. 154. expreſſè dicit, credo, quod Christus maximus peccator extiterit, qui fuit in terris unquam. Heros utique; in sermonibus enim mensalibus, teste præcitato fol. 333. ita loquitur, ego Martinus Lutherus in rebellione omnes rusticos occidi, ego enim jussi eos occidi, & sanguis eorum est super animam meam.

QUÆSTIO IV.

*Qualiter Prohibita sit Lectio
Librorum hæreticorum, reten-
tio eorundem Sc.*

1. **Q**uanto religionis Zelo, gravissimus, Christianissimus ac devotissimus ille vir D. Lutherus patet ex suis lytanijs in discurs. mensal. fol. 259. teste P. Conrado Vetter, & aliis, ubi dicit, *ore se, chare diabole, ora pro me Deum*) libros malos, famosos, impios prohibendos, & fugiendos esse desideravit, liquet ex eo, quod non tantum Zwinglij libros damnaverit, sed & Erasmi, & quidem edicto plus quam Basilico, omnibus impero iussu Dei (inquit in serm. convival. ut Erasmum odio habeant, illiusque libros

fū-

fugiant. Eiusdem Lutheri sunt isti versiculi:

Qui satanam non odit, amet tuacarmina Erasme,

Atque idem jungat furias, & mulgeatOrcum.

Quam parodiam expressit à Luthero summa operum Erasmicorum execratio; & quidem cùm non in Parnasso, sed in lecto esset, ut vel hinc agnoscamus facilem illam Lutheri venam fundendi carmina. Eiusdem Religionis sunt Zelosissimi ejus affectiones Lutherani, dum Calvinianorum libros ex humana Societate pellendos, & ejiciendos esse sancivere. Nec minoris pietatis videntur esse Calvinus cum suis Calvinianis, qui non modò Catechismum Lutheri & Brentii palam vetuerunt, sed & omnes commonefecerunt, ut à cœteris quoque illorum scriptis quam diligentissime abstinerent. Laudo vos; rectissimè agitis Domini Lutherani, cùm libros Calvinianos vetatis: & rursus vigilantis Magistratus partes expletis Domini Calvinistæ, cùm libros Lutheranos opprimitis, neve succrescant, entimini; imò & hoc addo, majora encomia vos merituros, si quævis pars non modò adversariæ partis, sed suos quoque libros
dam-

76 *Quæstio IV. Qualiter Prohibita*
damnaret, ita ut Lutherani, & Calviniani
nec Calvinianos, nec Lutheranos libros
ferrent, sed omnes pari suffragio repudia-
rent, censorésque severissimos constitue-
rent, qui ubique advigilarent, ne quis liber
Lutheranus, aut Calvinianus typis manda-
retur, aut à Bibliopola venderetur, sicut
apud nos Catholicos moris est; quos vos
Calvinistæ & Lutherani ob id in crimen vo-
care non deberetis, si vobis consentanea
loqui velletis, cùm faciamus nos, quod vos-
metipsi, faciendum esse, tanta sollicitudine
monetis. Ignoscite ergo mihi, si libros
malos, famulos, hæreticos, impios (quales
sunt vestri) prohibendos, fugiendos, &
exurendos esse, hac in Quæstione palam
dabo. Hoc præmonito & notato.

2. Dico, libri hæretici, præsertim
Lutherani jure interdicuntur, & exurun-
tur: imò qui Catholicorum scienter, &
absque Summi Pontificis licentia, publicè,
vel occultè legit, aut retinet, aut impri-
mit, aut alio quovis modo defendit libros
hæreticorum, tractantes de Religione, aut
hæresim continentes, peccat mortaliter,
& incurrit excommunicationem Summo
Pontifici reservatam. Ita P. Anacletus in
suo jure Can. L. V. Decret. Tit. VII. de
hæreticis §. 3. Herinçx Tom. 3. Disp. 9. Q.
8. Palao, Bonacina cum communi Catholi-

corum. Prob. prima pars, quod nimis
sint interdicendi, & comburendi, primò
in Concilio Constantiensi Sess. 8 confirmata
decretem Archiepiscoporum Cantua-
riensis & Eboracensis in Anglia, & Pragen-
sis in Bohemia. Item & Patronum Concilij
Romani paulò ante Constantiensem Syro-
dum celebrati, à quibus interdicta fuerat
lectio librotum Wicleffi. Decretum Sy-
nodi Constantiensis quoad nostrum propo-
situm, ut reliqua omittamus, ita habet.
*In nomine Domini Iesu Christi haec San-
cta Synodus Sententias predictorum Ar-
chiepiscoporum, ac Concilii Romani ratifi-
cans, & approbans, predictos articulos,
& eorum quemlibet, libro eisdem D. a-
logum, & Trialogum per eundem Joani-
num Wicellef nominatos, & alios eisdem
Auctoribus libros, volumina, tractatus, &
opuscula, quo cunque nomine censeantur,
quos hic haberi vult pro sufficienter ex-
pressis, hoc perpetuo decreto reprobat, &
condemnat &c. jubens, illos libros, &
tractatus, volumina, & opuscula præli-
bata publicè concremari, prout decretum
fuerat in Synodo Romana &c. ergo jure
prohibentur, & comburuntur libri hære-
tici,*

3. Porro cum non obstante Concilij
Constantiensis decreto, multi in Bohemia,

& Moravia libros Wicleffi, & Hussi, studiosè lectitarent, denuò eosdem proscripsit Martinus V. in Bulla quadam Constantiæ data, ubi inter coetera sic loquitur Pontifex. Et quia (sicut dolenter ascepimus) non solum in regno Bohemia, & Marchionatus dominiis, & locis supradictis, verùm etiam in quibusdam partibus, & provinciis contiguis, seu vicinis eisdem, etiam nonnulli ex sectatoribus, & sequacibus hæresum, ac errorum hæresiarum predictorum &c. (Wicleffi, Hussi) Dominum Deum blasphemare non cessant &c. quorum mentes pater mendaciis sic damnabiliter excavavit, ut predictos libros, codices, & opuscula, hæreses, & errores continent, seu continentia, dudum etiam per Synodum pratamatam damnatos & damnata, ac ignibus concremandis deputata, & concremata legant, studeant &c. tanquam hereticos judicetis, & velut hereticos facultati Curia relinquatis: ergo jure prohibentur, & comburuntur libri heretici. Ridenda itaque sunt verba Rockizanæ, minus justè damnatus fuit Wicleff in libris suis, & Zuvineck Archiepiscopus Pragensis combussit libros suos; hoc fecit sicut homo ignarus; imò de ipso fuit causa &c. & postea iuit ad Ungariam ad

Régis

Regis Bohemiae Fratrem, & ibi peste est consumptus. Audi contra hoc Hilarium, quidquid fecit Zuvineck de illis libris, fecit matu: è, & habuit homines doctos, Doctores, & Capitulum, sine quibus nihil faciebat. Cœterum valde pingui Miner-va ratiocinatur (uti veterum & recentiorum hæreticorum proprium est) dum mor-tem illam Archiepiscopi arbitratur, fuisse poenam inflictam à Deo ob libros Wicleffī flammis traditos ; quasiverò nullus un-quam peste moriatur, aut mortuus sit, nisi qui hæretici alicujus libros exusserit, ut proinde ex tali occubitu liceat colligere. Præsulem illum piaculum commisisse, cùm Wicleffī libros concremavit. Jam

4. Prob. prima pars 2. Cùm Leo X. Pontifex Max. sub quo Lutherus extitit, ani-madverteret perfidiam impij apostatae quo-die longius serpere, medicinam morbo ad-hibendam censuit : itaque edita & vulgata constitutione, non modò Lutheri Articulos omni impietate plenos condemnavit, sed & libros ejusdem hæresiarchæ ex Apostoli-ca authoritate sub Gravissimis poenis pro-scripsit : inter alia verba Bullæ anno 1520. datæ hæc habentur : *inhibemus præterea &c. ne scripta etiam prefatos errores non continentia, ab eodem Martino quomodo- biles*

30 *Quæstio IV. Qualiter Prohibita*

libet condita vel edita &c. publicè, vel oecu-
rte, seu in domibus suis, sive aliis locis,
publicis, vel privatis tenere quoquo modo
præsumant, quin immò illa comburant &c.
Hoc summi Pastoris quasi classico excitati
Principes tam Ecclesiastici, quam Politici,
itemque variæ Academiæ, Lutheri libros
vetuerunt, flammisque ultricibus addixe-
runt: in primis Carolus Cæsar, qui publica-
vit edictum Wormatiæ 8. die Maij anno
1521. Idem Imperator Wormatiâ eodem
anno mandatum misit ad Academiam Vi-
ennensem, quo præcipiebat, ut Apostolicæ
Bullæ convenienter libros Lutheri combu-
rerent, prout jam factum fuerat in Belgio,
Burgundia, Coloniae, Treviris, Moguti-
tiæ, & alibi locorum. Nec segniores fue-
runt in executione diplomatis pontificij
Germaniæ Episcopi, quibus religio curæ
erat; quod nominatim affirmare licet de
Præsule Aichstadiano, & Amstite Frising-
ensi, quorum decreta adversus Lutheri li-
bros ipsi Lutherani in primum Lutheri To-
mum Jenensem Germaticum retulerunt,
ut etiam in hostium nostrorum monumen-
tis extaret specimen illius diligentiae, qua
Pastores illi ovile sibi commissam à lupo-
rum incursionibus defendenterunt. Ad extre-
mum Rex Angliæ Henricus VIII. non tan-
tum stylo contra Lutherum, sed & rogo ad-
ver-

Versus ejusdem libros pugnavit, ut testatur Polydorus lib. ult. Histor. Angl. & eo die, quo libri Lutheri incensi sunt, elegantem de hoc ipso facto Regis concessionem habuit Martyrij, & doctrinæ gloria inclitus Episcopus Roffensis.

s. Neque verò aut Leo Pontifex solum, aut Carolus Imperator, aut alij, verum & posteri huic causæ nequequam indormiendum rati, pestem hanc, ne latius grassaretur, totis viribus avertere studue-
funt, editis quoque librorum perniciosorum Catalogis, ut Lector nosceret, quinam libri vitandi, & pestis instar fugiendi essent. Ejusmodi Catalogos pestilentium librorum publicarunt Doctores Parisienses, & Lovanienses; ut ipsemet perfidus transfuga vergerius testatur: talis itidem eodem teste, in Italia excusus est Pontificis autoritate anno 1548. Alius locupletior anno 1552. aliis adhuc capiosior anno 1554. &c. Tandem crescente hæresi, & hæreticorum, pernicio-
sorumque librorum multitudine, de medici-
na adhibenda seriam cogitationem suscep-
pit quoque Tridentina Synodus: quocirca
certos ad id operis elegit Patres, qui dispi-
cerent, & diligenter considerarent, quid
facto opus esset, atque etiam ad eandem san-
ctam Synodum suo tempore referrent, in-
dicemque tanquam præsens quoddam anti-

dotum adversus hæc tam præsentanea venena conficerent. Sed cùm res majoris esset operis , quām ut , quantumvis jam externam manum sortita , à Patribus totius Concilij in examen vocari posset , ad summum Pontificis Pij IV. judicium rejecta est , qui Catalogum illum una cum regulis ei propositis , autoritate Apostolica approbavit , & ne quis librum ullum ex numero eorum , qui prohibentur , legat , aut retineat , severè interdixit. Accedit , quod maxima semper tam ab Imperatoribus , quām à Pontificibus data sit opera , ut libelli famosi à medio tollerentur , nec alia de causa , quām quia proximi famam injustè lacerant , multasque turbas in Republica concitant : cùm ergo , ut libelli famosi abolerentur , tam sedulò advigilarint , satis hoc ipso suo facto , si cætera deessent , declararunt , quid de hæreticorum libris statuendum sit , qui nihil aliud sunt , quām libri famosi , & tantò perniciosiores , quantò damnosius est lacerari Religionem , quām boni nominis existimationem : ergo à primo ad ultimum jure prohibentur , & comburuntur libri hæretici.

6. Prob. denique 3. venenata & pestifera utique maximo studio sunt vitanda , & fugienda : sed sermones , & libri hæreticorum sunt venenati & pestiferi : ergo &c.

Min.

Min. prob. ex Apostolo dicente, sermo eorum ut cancer serpit. Item S. Cyprianus Epist. 40. monens Christianam plebem, ut hæreticos fugiat; procul, inquit, ab hujusmodi hominum contagione discedite, & sermones eorum vel ut cancrem, & pestem fugiendo vitate. Et alibi ait: hæreticos designari à Spiritu S. tanquam sedentes in pestilentia cathedra, pestes & lues fidei, serpentis ore fallentes, & corrumpenda veritatis artifices, venena lethalia linguis pestiferis evomentes, quorum sermo ut cancer serpit, quorum tactus pectoribus, & cordibus singulorum mortale virus infundit. Ita S. Leo serm. 18. de Passione Domini, S. August. B. Anton. &c. ergo libri hæreticorum, sermonesque illorum in iis contenti pestiferi sunt, & venenati, atque ipsi hæretici venenarii, consequenter summo studio prohibendi, vitandi, quippe qui humanæ Societati sunt perniciosiores, quam ipsæ hæreticorum conciones, & colloquia; verba enim ore prolata mox transiunt; at verba in libris manent perpetuò, & semper nobis adsunt, nobiscum peregrinantur, nobiscum domi sedent. Præterea libri magis sparguntur, nam potest aliquis per libros toti ferè orbi terrarum simul loqui, & multorum domos & cubicula penetrant, quæ Author libri nonquam vidit, &

ad quæ fortè nunquam admitteretur. Denique experientia docet, nam Wicleffus viva voce paucissimos pervertit, docuit enim solum in Anglia; at per libros totam Bohemiam pervertit teste Cochlæo in historia Hussitarum. Nunc

Prob. 2. pars conclusionis, quod legens, retinens &c. tales libros hereticos peccet mortaliter, & excommunicationem incurrat Summo Pontifici reservatam: agens contra legem naturalem divinam, & legem Ecclesiasticam excommunicantem, & anathematizantem, peccat mortaliter: sed legens, retinens, imprimens &c. scilicet absque Pontificis licentia libros hereticorum, tractantes de religione, aut heres in continentibus, agit contra legem naturalem divinam, & legem Ecclesiasticam excommunicantem, & anathematizantem ergo legens, retinens libros hereticorum peccat mortaliter, & est excommunicatus. Maj. patet. min. prob. quod agat contra legem naturalem divinam: jus naturale divinum prohibet periculum erroris, & defectionis à fide: sed libros hereticorum legenti frequenter imminet indefinite loquendo periculum erroris, & defectionis à fide, etiam tunc, quando non imminere presumuntur, cum sermo illorum scriptus velut serpens in silentio mordere soleat: ergo legens

gens tales libros, agit contra legem naturalem divinam. Prob. etiam min. quod agat contra legem Ecclesiasticam excommunicantem: in Bulla Cœnæ hic clarus legitur textus: *excommunicamus, & anathematizamus &c.* omnes & singulos hæreticos, quo cunque nomine censeantur &c. ac eorum libros hæresin continentes, vel de Religione tractantes; sine auctoritate nostra, aut Sedis Apostolicae scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodo libet defendentes, ex quavis causa, publicè, vel occultè, quo vis ingenio, vel colore &c. Item in indice librorum prohibitorum Regula 10. ita statuitur: *Quod si quis libros hæreticorum, vel cuiuscunque Authoris scripta, ob hæresin, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, arque prohibita legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat:* ergo legens, retinens &c. libros hæreticorum agit contra legem Ecclesiasticam excommunicantem. Sed ut clarius pateant hæc generalia, pro majori intelligentia, & utilitate plurima ad praxin subnecto quæsita. Hinc

8. Quær. i. An, qui ex ignorantia legit libros, quos nescit esse hæreticorum, aut scit quidem esse hæreticorum libros,

sed nescit continere hæresin , aut tractare de Religione , incurrat prædictam excommunicationem ? & talem non incurrere , etiam si legat ex ignorantia crassa . Ita Herincx , Sanchez &c. Ratio est , quia Bulla expressè requirit *scienter legentes* ; universaliter autem , quando in lege ad incurrendam censuram requiritur Scientia , excusat ignorantia etiam crassa . Imò juxta Herincx , & alios valde probabile est , neque talem excommunicationem incurrere illum , qui legit tales libros ex ignorantia etiam affectata , quia non est in rigore scientia , scientia enim quamlibet ignorantiam excludit ; dein versamur hic in materia pœnali . Hoc tamen limita , si nimirum talis ignorantia non sit conjuncta cum magna temeritate , tunc enim censetur adesse scientia : ingens autem temeritas dicitur , quando habetur magna suspicio pravitatis libri .

9. Quær. 2 à quo licentia sit petenda pro lectione librorum hæreticorum ?

& per se loquendo peti debere à summo Pontifice , quia nemo à Pontifice , aut cui ipse expressè concesserit , potest dare facultatem legendi libros hæreticorum , nam in dicta Bulla Cœnæ sibi Pontifex reservat , sine *authoritate* , aut licentia *sedis Apostolicae* . Jam verò Episcopis in Germania

nia nostra ordinariè , & communiter à summo Pontifice concessa est potestas , tales libros legendi , & concedendi licentiam aliis , uti par et ex copia hujusmodi facultatum à Pontifice concessarum Episcopis nostris : impetrare ergo quis potest talem licentiam legendi hujusmodi libros à proprio suo Episcopo , vel Reverendissimo , & Celsissimo Ordinario : benè tamen inspicere , & exactè observare debebit tenorem concessæ licentiæ , an sit ad quinquennium (uti ordinariè concedi solet) vel ad quadriennium , vel adhuc brevius tempus , ne excedatur .

10. Quær. 3. an , ut quis propter lectio-
nem excommunicetur vi Bullæ Cœnæ , ne-
cessariò debeat esse liber hæretici ?

¶. affirmativè : ratio est , quia per præ-
fatam Bullam excommunicantur solum ij ,
qui legunt librum hæreticorum , consequen-
ter si liber hæretici non est , lectio illius sub
ista prohibitione utpote odiosa , & sic strictè
interpretanda , non comprehenditur : adeo-
que si Catholicus legat librum Turcæ , Ju-
dæi , vel alterius infidelis non baptizati ,
quamvis contineat errores contra fidem ,
non excommunicatur vi hujus Bullæ , hi
enim non solent dici hæretici . Item ex ea-
dem ratione in Bulla non comprehenditur
liber authoris Catholicæ , etsi forsitan in eo
per accidens hæresis sit inspersa . Sic ibi-

dem non continetur liber authoris Catho-
lici refutantis errores hæreticorum, et si eos
de industria, & fusè referat, & explicet, uti
v. g. securè & passim leguntur Bellarminus,
& alij Catholic Controversistæ; imò & hoc
verum est, et si legatur pessima intentione
v. g. addiscendi hæresin, Ecclesia enim non
judicat de internis & occultis.

11. Quær. 4 an liceat sine excommu-
nicatione Bullæ Cœnæ Juristis. Medicis &c.
legere libros hæreticorum Juridicos, Medi-
cos, Philosophicos, Historicos &c. qui ne-
que de hæresi neque de religione tractant
ex instituto, aliquas tamen hæreses obiter
inspersas continent?

R. (licet ægrè) affirmativè cum la
Croix, Reiffenstuel, Layman &c. Hinc ta-
les libri hæretici communiter in Catholicorum
Bibliothecis prostant, & manibus om-
nium etiam proborum, & Religiosorum vi-
rorum promiscuè teruntur, ac sine scrupu-
lo leguntur, & retinentur. Insuper in his
hæreticorum libris cessat ratio, & finis, qua-
re ab Ecclesia lectio librorum hæreticorum,
hæresin continentium, vel de religione
tractantium fuit prohibita, in lectione enim
librorum hæreticorum v. g. juridicorum,
medicorum historicorum, non est pericu-
lum propagationis hæresum, nec legens se
exponit periculo perversionis, cùm tales li-
bri

bri unam vel alteram hæresin continentes, eam ex instituto, aut notabiliter non propugnant, sed nudè duntaxat referant, aut obiter & omnino futiliter, ac brevissimè defendant: sicut enim nullus prudenter dicitur, se exponere periculo perversionis, qui pure & simpliciter scit, vel audit, hæreticos credere Christum non esse sub speciebus Eucharisticis, non esse purgatorium &c. ita etiam præsumendus non est, qui legit similia nudè, & obiter in his libris relata, se periculo perversionis exponere, aut hæresin propagare. Sed moneo, non quemlibet legas, frequenter enim inspersas illas hæreses non nudè & obiter ponunt, sed illas suadent, ad longum probant &c. sic de facili periculo te expones. Et quid ex tam turbido fonte veritatem elicere cupis? Tenorem Bullæ inspice, & talem librum juri dicum &c. esse librum hæresin continentem, rigorosè offendes.

12. Quær. 5. An in Bullæ Cœnæ prohibeantur quoque hæreticorum epistolæ, concio, quæstio, aliisque scriptura brevis, etiam hæresin continentes, aut de Religione ex instituto tractantes? R. antè factum suadendam esse sententiam velut tutiorem, nimirum excommunicationem Bullæ contrahere, qui concionem, epistolam &c. ab

90 *Questio IV. Qualiter Prohibita*

hæretico de causa Religionis scriptam, aut hæreles continentem scienter legit. Ita in re Palao de infidelitate Tract. 4. Disput. 2. Punct. 10. Layman. L. 2. Tr. 1. c. 15. & alii. Ratio est primò, quia Bullæ prohibitio est favorabilis, non odiosa, est enim in favorem fidei, & defensionem Catholiconrum: ergo debet extendi, & non limitari ad librum. Ratio est 2. quia in his eadem est ratio, & periculum perversiois. Ratio est 3. quia Bulla prohibens libros hæreticorum, prohibet quoque quamlibet partem, etiam modicam illorum v. g. præfationem, Epistolam dedicatoriam &c. ergo etiam conciones, & alias parvas scripturas separatas, quæ libri partes esse valent. 4. est ratio, quia in Bulla non est assignata magnitudo, quæ ad constituendum librum requiratur: ergo concio, Quæstio &c. quæ decem v. g. folia continet, jam potest vocari liber. 5. Ratio est, quia Congregatio Concilii Trid. declarans Decretum de editione librorum latuia, Sess. 4. dixit, comprehendi sub illo decreto conciones, lectiones, disputationes &c. ergo &c. Ratio 6. est, quia nomen *libri* in Bulla videtur appositum frequentioris usus gratiâ: ergo partes, ex quibus componi potest, non excluduntur. Ob has ergo & similes rationes tanquam probabilior & tutior suadend-

denda est hæc sententia ante factum : attamen post factam lectionem statim damnandus non est , quia sententia altera admodum probabilis est , videlicet conciones hæreticorum , quæstiones &c. in censura Bullæ Cœnæ non comprehendi. Ratio est , quia hæc secundum communem loquendi modum libri non reputantur , consequenter cùm prohibitio Bullæ odiosa , & pœnalis sit , extendi non debet ad eos , qui legunt similes conciones , Epistolas &c.

13. R. ergo ad rationes adductas pro altera sententia ; & quidem ad primam R. neg. ante. est enim pœnalis , & odiosa , quia continet immediate gravamen , nam privat Catholicum lectione librorum hæreticorum , & quidem sub gravi pœna : si enim hæc lex simpliciter esset favorabilis , eò quod sit in favorem fidei , & defensionem Catholicorum , planè omnes leges pœnales simpliciter essent favorabiles , quibus homicidæ , & latrones puniuntur , cùm ad bonum reipublicæ , & defensionem innocentium ordinentur. Et si concederetur hanc legem esse fovarabilem , non tamen deberet extendi ultra proprietatem verborum ; libri autem non reputantur Epistolæ , conciones &c. R. ad 2. neg. esse eandem rationem , tūm quia libri diutius permanent , & magis evulgantur , ac majoris sunt authori-

92 *Quaestio IV. Qualiter Prohibita*

tatis; tum quia, licet esset eadem ratio, leges poenales extendi non debent ad casum non expressum in tali lege. Ad 3. q. neg. conseq. nam quamvis haec omnia possint esse partes libri, sed quia nec sunt, nec unquam fuerunt, ideo nunquam sunt prohibita vi Bullæ Cœnæ: secus est dicendum de præfatione, epistola dedicatoria &c. quæ actu librum prohibitum componunt; prohibito enim libro, etiam partes prohibentur. q. ad 4. concedendo cum Palao, concionem, disputationem &c. decem folia continentem librum esse, & cadere sub excommunicatione Bullæ Cœnæ; attamen cum à jure non sit determinata quantitas requisita ad constituendum librum, sumi debet à communi loquendi usu. Ad 5. q. concedendo totum, sub illo Decreto contineri disputationes, conciones &c. non quia veniunt sub nomine libri, sed quia veniunt sub nomine cujuscunque scripturæ; Concilium enim Lateran. cuius explicatio, & renovatio est hoc Deereturum Concilij Trid. expressè continet quamcunque scripturam; Bulla Cœnæ autem includit tantum libros haëreticorum; consequenter licet conciones, disputationes &c. prohibentur in Decreto Concilii, non tamen prohibentur in Bulla Cœnæ. q. ad 6. neg. ante. nam nomen libri ibi appositum est, quia in libro majus latet periculum, ac facilius

cilius hæreses texuntur , atque difficilius cognoscuntur.

14. Quær. 6. An etiam illi incurvant excommunicationem Bullæ , qui sine licentia legunt libros hæreticorum , et si legentes videantur omnino carere periculo subversionis , & eos legant animo refutandi errores in ijs contentos ?

R. Cum communi taliter legentes incurvare excommunicationem Bullæ Cœnæ . Ita Palao Ttaet. 4. Disp. 2. Punct. 10. §. 2. Reiffenstuel &c. Ratio est primò , quia in Bulla expressè prohibetur lectio librorum hæreticorum *ex quavis causa , quovis iagenio , vel colore.* Ratio est 2. dò quia lectio istorum librorum in Bulla Cœnæ prohibita est absolutè ob periculum generale perversionis multorum , quod generale periculum cùm non cesset , sed respectu totius communitatis adhuc duret , Bullæ prohibito & obligatio non cessabit : sicut à pari obligatio legis latæ absolutè de non portandis armis de nocte propter periculum rixarum ; homicidiorum &c. non cessat , sed manet etiam ex parte illius , qui alias fungus , cuique gladius vaginæ esset agglutinatus : facile enim alias eliderentur leges , ac oriretur confusio in populo , cùm plurimi dicere possint , apud me non est periculum &c.

15. Quær. 7. mō An lectio libri hæreti-

ci
aūlio

ci per Bullam Cœnæ sit prohibita , si liber non est impressus , sed tantum manuscrip-tus ?

R. In dicta Bulla Cœnæ comprehenduntur etiam libros non impressos, ac manuseripta faltem longiora hæreticorum , si vel hæresis contineant , vel de religione tractent ; cum utique ante typum inventum verè extiterint libri , et si tantum scripti : præsertim cum de libris impressis , vel manuscriptis eadem militet ratio , consequenter eadem legis dispositio .

16. Quæst. 8. An ab excommunicatio-ne Bullæ excusat parvitas materiæ , quæ legitur in libro hæretici ?

R. Cum Reiffenstuel , & Palao , par-vitatem materiæ excusare. Ratio est , quia sicut in reliquis materiis ut plurimum datur parvitas materiæ ; ita etiam in lectione librorum . Hanc autem parvitatem materiæ extendunt aliqui ad tres vel quatuor lineas ; alij ad decem ; imo Sanchez cum Coninck excusat legentem integrum paginam : aliis tamen hæc ultima extensio videtur nimia , præsertim si pagina sit grandior , cum in tali pagina hæresis inspersa facile ita deduci , ac propugnari possit , ut periculum perversio-nis subsit , sic in ea habentæ non sunt laxan-dæ . Qui ergo legeret aliquas lineas cum in-

intentione legendi plura folia, peccaret mortaliter, non quidem ratione lectionis exterioris, sed ex prava voluntate, qua orta fuit lectio: sicut si intenderes furari magnam summam, interim tamen crucigerum Clerperes, furtum hoc esset peccatum mortale propter pravam voluntatem furandi magnam summam, non verò propter furtum exterius: à censura autem Bullæ excusatur hæc lectio; censura etenim executionem punit, non intentionem, in executione autem hæc lectio non est materia gravis peccati mortalis, cum regulariter loquendo non videatur subesse periculum perversiōnis in lectione quatuor vel decem linearum.

I 7. Quær. 9. Ab ad incurriendam excommunicationem requiratur, ut per se legat?

R. Cum Herincx Tom. 3. Disp. 11. Q. 7. Palao Tract. 4. Disp. 2. Punct. 10. §. 2. ac aliis, ut hæc excommunicatio Bullæ incurritur, requiritur, ut aliquis per se legat; unde qui à famulo, vel ab alio legi audiunt, quamvis audiens sit causa, cur famulus, vel alias sibi audienti legat, non incurrit censuram. Ratio est, quia neque inductio v. g. ad legendum, nec auditus lectorum est propriè lectio, cùm propriè legere sit visu, & mente scripta percurrere; lex autem pœna-

nalis non est extendenda ultra propriam significationem legentes. Cavendum tamen est iterum, ne taliter audientes sub credentibus, aut fautoribus hæreticorum comprehendantur. Advertendum tamen, non solum dicilegere, qui lingua exprimit, quæ legit, sed etiam, qui oculis tantum percurrit, nihil exprimendo, nam lectio non consistit in prolatione verborum. Præterea excusatur ab excommunicatione, qui legit librum hæreticum, illum tamen non intelligit, quia, cùm finis hujusmodi prohibitionis sit, ne legens imbibat hæresin, qui in hoc eventu locum habere nequit, ea prohibitio à sui principio non comprehendit hunc casum: tum quia illa non est formalis, nec vera lectio, sed tantum materialis.

18. Quær. 10. mō An etiam in Bulla Cœnæ sub excommunicatione retentio, impressio, defensio librorum hæreticorum sit prohibita?

R. Omnes & soli libri hæreticorum, quorum lectio per Bullam Cœnæ est prohibita, prohibentur etiam retineri, imprimi, & defendi. Ratio est, quia dispositio Bullæ æqualiter loquitur de legentibus, retinentibus, ac imprimentibus &c. legentes, & retinentes, aut imprimentes, aut quomodolibet defendantes ex quavis cau-

sa:

sa. Retinere autem dicuntur libros hæreticos juxta P. Reiffenstuel & alios , qui illos retinent sive curiositatis gratia , sive ad eos refutandos ; an illos retinent in domo propria , an in aliena , sive suo , sive alterius nomine : unde excommunicati censentur Aromatarii , Mercatores , & quavis alii , qui hujusmodi libros , aut partem eorum retinent ad involvendas merces &c. Potest tamen excusari juxta Palao & alios , qui dictos libros retinet ad breve tempus , ut ad unam horam , vel duas , vel etiam ad unum vel duos dies , quamvis adsit opportunitas eos consignandi Superiori ; quia hæc retentio censetur in hac materia modica , & brevis. Excusatur etiam juxta Layman & alios , qui tales librum retinet longiori tempore ex eo ; quod non habeat opportunum tempus , & occasionem tradendi illum Inquisitoribus , vel aliis licentiam illum legendi , ac retinendi habentibus.

19. Imprimentes libros hæreticorum censentur , quicunque ad eorum impressionem propinquè cooperantur , ut sunt Dominus officinæ , quia verè imprimere dicitur , & impressor nominatur , etiamsi propriis manibus non laboret : qui faciunt expensas pro impressione : qui collocant litteras : qui typos sic compositos attingunt at-

ramento : qui premunt torcular : qui præparant papyrus : qui exemplar impressum , aut typos corrigunt &c. Ita P. Schmalzgrueber cum aliis. Sanchez tamen existimat eum , qui expensas impressionis facit , item qui impressionem corrigit , non comprehendendi nomine imprimentium ; sicut nec putat Croules comprehendendi , qui librum imprimendum tradit , sive author sit libri , sive non. Hi tamen (dato , quod nomine imprimentium non veniant) ex alio capite , nimirum ex favore hæresi præstito , per ejusmodi actionem possunt excommunicacionem incurrere : quemadmodum etiam hæreses in illis contentas propugnando , sive impediendo , ne libri id fidei inquisitores &c. deferantur , aut cremen tur.

20. Defendantes libros hæreticorum dicuntur , qui illos occultant , aut alio modo impediunt , ne comburantur , aut Judicibus fidei tradantur. Sic Layman cum aliis. 2. Qui idem verbis suadent , sive occulte , sive publicè id faciant. Item qui affirmant , illos non esse pravos. Hinc juxta Palaum , & alios esset defensor , qui saltem coram aliis diceret de libro hæretico , hic liber optimus esset , nisi hæresis inserta fuisset : vel hic optimus esset liber , discente mihi hæresi , quia sic jam librum defendenter verbis. Item censendus est defen-

fendens regulariter loquendo , iuxta cit. Authorem , qui diceret , se velle defendere hunc librum hæreticum , & jam esset in procinctu provocans ad certamen ; imò si non esset in procinctu provocando . Ratio est , quia voluntas taliter significata retrahit impugnantes hunc librum hæreticum , & difficiliores reddit hunc librum subvertere , cùm videant habere patronum , adeo que etiam talis significatio est quædam defensio . Qui autem librum aliquem defendit ostendendo , eum non esse prohibitum , vel laudando præcisè ingenium Authoris , vel stylum libri , non censendus est incurrire hanc excommunicationem , dummodo id non faciat eo animo , ut damnationem impedit , vel ne combutatur , aut Judicibus tradatur .

21. Quær . 11. mò Quinam libri prohibentur in indice librorum prohibitorum , edito auctoritate Pontificum ; in specie Pij IV. Sixti V. Clementis VIII. & aliorum Pontificum successorum continuato , & aucto ?

Ré. in præfato indice triplicis classis prohiberi libros , nimirum in prima , 2. & 3. In prima classe continentur libri , qui propter ipsos Authores , hæreticos scilicet sunt damnati , seu prohibiti , tales sunt Hæretiarcharum , seu qui primi sunt authores

certæ hæreſeos ; uti etiam eorum hæreti-
corum, qui capita, & duces sunt, vel fue-
runt v. g. Lutheri, Calvini, Zwinglii &c.
Libri omnino hi omnes, de quacunque ma-
teria tractent, sunt prohibiti in hoc indice
librorum prohibitorum. Item libri ab Au-
thore hæretico, vel de hæreſi publicè sus-
pecto editi, qui de Religione ex professo
tractant, etiamsi hæreſin non contineant.
In 2. classe continentur libri, qui prohiben-
tur, vel prohibiti sunt non propter ipsum
Authorem libri, sed propter non sanam,
suspectam, vel moribus repugnantem do-
ctrinam, quam continent : tales sunt, qui
de rebus lascivis, & obscenis tractant, aut
artem magicam docent, et si sint Authoris
Catholici. In 3. classe continentur libri
incertorum Authorum, qui prohibiti sunt
ob malam doctrinam, sive in genere mo-
rum, sive Religionis, sive fidei. Libri pri-
mæ classis notantur in hoc indice per ly
Authores primæ classis, ad quos spectant
etiam expressi in indice. Libri 2. classis
significantur per ly *certorum Authorum*
libri prohibiti. Libri 3. tñæ classis osten-
duntur per ly *incertorum Authorum*
libri prohibiti. Jam omnes libri primæ classis,
& illi libri secundæ, & tertiæ classis, qui ob
aliquam, quam continent hæreſin, vel ob
falsi dogmatis suspicionem prohibiti sunt,

pro-

prohibentur etiam per hunc indicem sub poena excommunicationis , Papæ tamen non reservata ; adeoque hi libri duplice excommunicatione sunt prohibiti ; una Papæ reservata vi Bullæ Cœnæ , altera per indicem non reservata . Reliqui autem libri secundæ & tertiæ classis , qui v. g. ob doctrinam moribus contrariam rejecti sunt , quique non continent hæresin , vel falsum Religionis dogma , sub peccato mortali quidem , atque gravi Episcopi arbitrio imponenda poena prohibentur , non tamen sub excommunicatione .

22. Quær. ultimò : quid ergo faciendum cum ejusmodi libris , quos neque legere , aut retinere liceat ?

R. Ubi est officium inquisitionis , ut in Italia , & Hispania , tales libri , sub poena excommunicationis , & aliis tradendi sunt Inquisitoribus , nec sufficit , eos propria auctoritate comburere : apud nos autem in Germania , ubi officium inquisitionis non viget , sufficit , ut comburantur , vel tradantur alicui , qui specialem facultatem legendi , & retinendi tales libros habet .

23. Hic sistere , & adhuc duas Quæstiones , de hæresi , & hæreticis , omittere , exiguae nostræ facultates jubent . Pauca tamen adhuc de preciosò illo viro Lutheropro complemento sciri restant . Positis ita-

que his solidis deform dico reformationis Ecclesiæ fundamentis , in perfectione & sanctitate magis & magis profecit indies Lutherus , ita ut proprii ejus asseclæ eum ubique hominem superbum , Thrasonem , clamitaverint ; eum magis ex calore animi , quam veritatis fervore sua scripsisse . Tantæ fuit Lutherus ebrietatis , & incontinentiæ , ut aliquando in Symbolo , non solum Symbolum Apostolorum , sed etiam Decalogum in vitro epotandum alicui propinaverit lurco ; adeò in potando strenuus , ut non Lutherus , sed alter ille Ciceronis Antonius fuerit visus . Dei Ecclesiam suis exuit bonis , eaque abligurivit porcus . De holosericis olim S. Altaris Dei regumentis , cornicula sua Catharina est vestita : sacrâsque vestes , vasâque Sancta , cum Balthasare illo , ad profanos exhibuit usus : cum Epulone illo luxuriosè , & Clodiano modo vicitavit ; nec non albas , casulâsque in incestas scorti sui Catharinæ vestes , mutavit sacrilegè . Instar canis in culina , semper anhelavit ad mundi & Ægypti ollas . Usque adeò foetidus , & libidinosus hircus est toti mundo declaratus , ut non erubuerit scribere , minus hominem à libidine , quam à salivæ ejecione , abstinere posse . Et illud , si non vult uxor , veniat ancilla . Sed hic Plato quiescere jubet &c . Hæresiarcha isthic Luthe-
rus ,

rus, ex orco, & inferis omnes ferè antiquas revocavit hæreses, pastores ejecit, luposque, & mercenarios conduxit, operarius iniquitatis. Tandem 1546. peracta in publico cum aliis cœna, eaque largiter sumpta, & facetiis hilariter protracta, eadem nocte interiit miser; cuius corpus totum comparuit nigrum, os distortum, lingua exerta, pedesque contracti, pessimumque, ac valde ingratus odor ibi est relictus. Ita videre est in Historia Parallelæ vitæ Doctoris Martini Lutheri &c. h̄c Ingolstadii impressa. Item ex P. Cochlaeo, P. Naff, Bellarm. &c. Et hic sit *Martyr?* ita; & quidem *Martyr amoris suæ Catharinæ & diaboli.* Et hæc sit *providentia summi Numinis*, qua B. Luthero, Theologo divino, per totum vitæ, & religionis reformanda negotium, illustribus fæse speciminibus, conspicendam dedit? ita; prævidit enim ab æterno eum inter reprobos; hinc loca Luciferi proxima Luther habet. Hoc sit in *Domino pie & placide, devota inter suspiria obdormire?* ita; more aliorum Hæresiarcharum. Quæso! sapite aliquando, & intelligite. Jam adhuc supereft, ut huic defuncto Papæ Saxonico Epitaphium in perpetuam ejus memoriam ponatur. Sit ergo illud à nostro Fr. Joanne Dominico, Patris Naff Amanuensi compositum.

104 *Quæstio IV. Qualiter Prohibita &c.*

I	ngenti claudit me fœbilis obice tellu	S
S	ulphureoque miser, sum data præda jov	I
L	ucem qui picea obduxo caligine, qui ne	C
E	xitium timui, nec mea damnâ mal	A
B	landus quid mihi Hymē, Veneris quid profuit ardor	
I	smarii quidnam massica dona De	I
V	æ! quia me subito præceps apoplexia noct	U
S	travit, & obscuræ misit ad antra stygi	S,

Tandem ut viator, animæ suæ memor esse possit, orationem aliquam valde efficacem, ex officio in ejus exequijs habito, & à proprio suo patre manifestato apponere placuit. Vide centur. 5. P. Nass ad finem.

Oremus.

Inclina Domine aures tuas ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut animam adversarii tui Martini Lutræ, quam de hoc sæculo subitanæ, & improvisa morte migrare jussisti, in pacis ac lucis regionem nunquam constitutas, sed cum suo parente Luciferò in pœnalitate habitare facias, per Christum judicem justum. Amen.



PARERGA.

EX PRIMO LIBRO SENTENTIARUM.

D E

DÉO TRINO ET VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

1. *TRinitas divina à priori, vel à posteriori demonstrari non potest.*

2. *Prater existentiam absolutam Deitatis, admittendæ sunt alia tres relativæ, ab ea ex natura rei formaliter, & realiter ab invicem distinctæ.*

3. *Prater tres subsistentias relativas in Deo, datur una absolute.*

4. *Productio Verbi de se est vera generatio, non autem processio Spiritus Sancti.*

5. *Potissima ratio, quare productio Verbi sit generatio, & non productio Spiritus S. est, quia illud procedit naturaliter, Spiritus S. vero libere, & voluntarie.*

6. *Solus intellectus est principium formale, immediatum, & quo generatio-*

nis Verbi, & sola voluntas spirationis ;
& quidem prout sunt in Personis producentibus.

7. Intellectio, & volitio divina non sunt actiones, quibus Personæ Divinae procedunt ; sed Verbum divinum procedit per dictiōnem, & Spiritus S. per spirationem activam, tanquam actus, seu actiones notionales.

8. Principium quod Divinarum processiōnū sunt ipsæmet Personæ , & quidem respectu Filii solus Pater, respectu Spiritus S. verò Pater & Filius simul.

9. Personæ Divinae constituuntur & distinguuntur per proprietates relatives, seu relationes, & quidem sub formaliratione relationum.

10. Relationes Originis distinguuntur tantum formaliter ex natura rei ab Essentia Divina.

11. Relatio spirationis activæ in Patre & Filio non distinguitur realiter à Paternitate & Filiatione, sed ex natura rei formaliter.

12. Dantur in Deo præter relationes originis, relationes communes identitatis, aequalitatis, & similitudinis.

13. Relationes communes sunt verae, & reales.

14. Proprietates Personales, seu relationes originis, in suo conceptu formaliter nul-

nullam involvunt perfectionem simpliciter simplicem, vel infinitam.

15. Personæ Divina sunt verè in se invicem per circummissionem, & quidem adquate tam secundum essentiam, quam secundum Personalitates.

16. Pater non est initium, aut causa filii, potest tamen dici Author, & origo sed non proprie.

17. Nomen ingeniti, seu innascibilis propriè sumptum convenit soli prima Personæ, non tamen eam constituit.

18. Generatio Verbi est voluntaria concomitantia, imò & aliquo modo antecedenter.

19. Pater non est sapiens sapientia genita.

20. Nomen Filii, & Verbi verè & soli Personæ secundæ convenit, non tamen sapientia incomplexe sumpta.

21. Secunda Personæ est proprium, esse imaginem Patris.

22. Verbum, & Spiritus S. non procedunt ex cognitione & amore creaturarum, ne quidem possibilium.

23. Cognitio essentiae, & omnium, quæ continentur formaliter in Deo, scilicet attributorum absolute, & relationum, seu Personarum, presupponitur generationi Verbi.

24. Si Spiritus S. non procederet realiz-

ter à Filio , adhuc ab eo distinqueretur
realiter.

25. Spiritus S. necessariò quidem est
à Patre & Filio , id tamen non exigit ex-
ratione sua formalis , quia esset idem , qui
nunc est , si procederet à solo Patre.

26. Habitus virtutum Theologica-
rum concurrunt efficienter ad actus suos ,
non ut causa totales efficientes , sed par-
tialiter simul cum potentiis.

27. Dantur virtutes aquisita per ac-
tus infusarum Theologicarum.

28. Virtutes Theologicae à solo Deo
infunduntur , & hoc sit per actionem
creativam.

29. Obscuritas ex parte rei revela-
tanon est de essentia fidei , seu non perti-
net ad obiectum formale fidei , sed est
pura conditio sine qua non.

30. Sola Scriptura Sacra non est u-
nica & sola regula fidei.

31. Admittenda sunt traditiones
approbata ab Ecclesia ut Divina & Apo-
stolica.

32. Concilium Generale , & legiti-
mum , & à Papa confirmatum , est regula
infallibilis fidei , & decreta ejus sunt ob-
jecta fidei.

33. Summus Pontifex non solum
cum Concilio Generali , sed etiam extra
Concilium docens , & definiens ex Ca-
the-

thedra, est infallibilis regula credendorum.

34. Nullus unquam Papa ex cathedra loquens, seu ut Doctor universalis Ecclesiae, erravit in fide.

35. Infallibilitas Decretorum Papæ loquentis ex cathedra, & definitis credenda, est de se certa, & firma, independenter ab acceptatione Ecclesiae; bene vero infallibilitas Concilii dependet ab approbatione Papæ.

36. De fide est, Romanum Pontificem Clementum XI. pro tempore regnante, esse verum Papam, Vicarium Christi, & Petri successorem.

37. Pontifex est infallibilis in rebus juris & facti, quas ut credendas proponit, v.g. cum declarat aliquem sensum alicuius propositionis, vel authorem ejus esse hereticum, ita, ut fideles teneantur credere.

38. Papa errare non potest in Canonizzazione Sanctorum.

39. Probabilius est, fidem non manere in Beatis, ne quidem quoad habitum, nec in damnatis, vel demonibus.

40. Non repugnat fidei, quod sit formaliter discursiva, non tamen id illi necessarium est.

41. Actus fidei Theologicae sunt supernaturales, non quoad substantiam, sed quoad modum.

42. Repugnat in eodem intellectu de eodem objecto, simul stare actum fidei, & scientia.

43. Spes reperitur in viatoribus, & animabus purgatorii quoad actum, & habitum; non autem in Beatis, & damnatis.

44. Habens revelationem sue damnationis, non potest positivè desperare sine peccato.

45. Angeli, & Beati, ac viatores omnes licet peccatores, sunt de objecto charitatis, non autem demones, & dannati; neque creature irrationalis, nisi indirecte, & remotissime.

46. Charitas habitualis est ejusdem speciei in via & in patria, non autem actualis.

47. Amor Dei ex charitate debet esse super omnia extensivè, non autem simpliciter intensivè gradualiter.

48. Ex charitate debemus non solum non odisse, sed etiam positivè amare inimicos ut proximos, non autem ut inimicos.

49. Nullo casis licitum est Duellum auctoritate privata, sive fiat provocando, sive acceptando.

50. Religiosis est danda Eleemosyna.

Omnia ad Majorem Dei Gloriam.









